# CONSTITUTIONES APOSTOLICÆ BREVIA, DECRETA, &c.

## PRO MISSIONIBUS SINARUM, TUNQUINI, &c.

*Ad usum R. R. D. D. Episcoporum, Sacerdotumque à Summis Pontificibus, ab Eminentissimis D. D. Cardinalibus S. Congregationis de propaganda Fide respective in Orientem missorum.*



Juxta Exemplar Romæ.

PARISIIS,
Apud CAROLUM ANGOT, viâ Jacobæâ, sub signo Leonis aurei.

M. DC. LXXVI.

CUM PRIVILEGIO REGIS.

# DECRETUM S. CONGREGATIONIS
Generalis de propaganda Fide,

*Habita die 7. Augusti 1651.*

CUm in ultima præterita Congregatione fuerit tractatum de necessitatibus spiritualibus Anamiticæ Ecclesiæ quæ Tunchini & Cocincinæ regna comprehendit, & fuerit per Eminentissimos Patres mandatum ut scriptura quæ plenam informationem super hac re continebat ad DD. Cardinales S. Congregat. transmitteretur, ut à quolibet Eminentissimo visa perlectâ & examinatâ proprium votum unusquisque diceret. Hinc est quod iterum proponente Eminentissimo D. Cardinale Ludovisio idem negotium, singuli Patres unanimi consensu fuerunt in voto esse preces porrigendas S. D. N. ut pro suâ Pastorali curâ ac singulari Religionis zelo, dicta regna ac eorum convicinia in quibus novæ Christianitates excrescunt, auxiliis spiritualibus providere dignetur, ut fidelium soboles quæ in dies oriuntur muniis Pastoralibus ac Sacramentis per proprios Episco-

pos confirmentur, ac religio ipsa magis ac tutius stabiliatur humiliter proponendo S. Sanctitati Electionem alicujus optimi viri in Patriarcham illarum vastissimarum mundi partium, amplissimorumque Regnorum & Provinciarum, cui adjungantur ad minus duo vel tres Archiepiscopi, & duodecim Episcopi; quorum singulis titulus in partibus Infidelium cum administratione Provinciæ à supradicto Patriarchâ cuilibet assignetur. Et si sanctitatis suæ beneplacitum proprium votis DD. Eminentissimorum Cardinalium prædictorum annuendo præsenti Decreto assentiri dignabitur, illudque confirmandum esse dixerit; iidem Eminentissimi Patres pro una dictâ quaque dignitate ex supradictis erigendis Sacerdotes & Religiosos omni exceptione majores S. S. humiliter proponent, ut pro ejus arbitrio quos magis idoneos judicaverit, eligat, constituat, & declaret ad majorem omnipotentis Dei gloriam fideique propagationem ac populorum salutem.

# DECRETUM S. CONGREGATIONIS DE PROPAGANDA FIDE.

*Quo Illustrissimus D. Franciscus Pallu Episcopus Heliopolitanus designatur Vicarius Apostolicus Tunchini cum administratione Provinciarum Imperii Sinici adjacentium, Iunan, Queicheu, Huguang, Guansii, & Regni Laos.*

SACRA Congregatio de propagandâ Fide habita die 13. Maii 1658. audita relatione quorumdam Eminentissimorum à Sanctissimo Domino Nostro specialiter deputatorum desuper negotio expeditionis Vicariorum Apostolicorum ad regna Sinarum, Cocincinæ, &c. censuit ad prædictum munus unius ex partis Vicariatibus proponi posse Sanctissimo Domino Franciscum Pallu Presbyrerum Gallum cum debitis facultatibus ; ita tamen ut iis nullo modo uti possit extra fines suæ Missionis seu Vicariatûs, & cum potestate

communicandi facultates Missionariorum, Sacerdotibus ad eam Missionem profecturis, quos S. Congregatio destinaverit, & non aliis: Illis vero quos in illis regionibus idoneos cognoverit, etiam ante approbationem S. Congregationis; ita ut quamprimum eandem de eorum nominibus & qualitatibus certiorari curet. Cumque Sanctissimus prædicta dignatus fuerit approbare in Audientiâ Secretarii, die 8. Junii: Eadem Sacra Congregatio particularis, die 16. Augusti ejusdem anni designavit prædictum D. Pallu pro regno Tunkint, cum administratione infra scriptarum Provinciarum adjacentium, videlicet Junam, Queicheu, Hugang, Succuem, Quamsii & Laos. DATUM Romæ 17. Augusti 1658.

Cardinalis ANTONIUS Præfectus.

*Extant Decreta similis formæ pro Illustrissimis D. D. Petro Lambert Episcopo Beritensi, & Vicario Apostolico Cocincinæ, & Ignatio Cotolendi Episcopo Metellopolensi, & Vicario Apostolico Nanchini.*

# BREVE
## D. N. ALEXANDRI VII.

*Quo Illustrissimus Episcopus Heliopolitanus deputatur Vicarius Apostolicus Tunkini.*

ALEXANDER P. P. VII.

VENERABILIS Frater, Salutem & Apostolicam benedictionem. Super Cathedram Principis Apostolorum inscrutabili divinæ Providentiæ arcano collocati, mentis nostræ aciem per universas Christiani orbis partes jugiter circumferimus, ut spirituali Christi fidelium ubicumque existentium directioni & curæ, quantum nobis ex alto conceditur, salubriter consulamus. Itaque Christi fidelibus in regno Tunchini, & infrascriptis Provinciis adjacentibus, videlicet Junam, Queicheu, Hugang, Succuem, Quangsii, & Laos existentibus, de idoneo Vicario Apostolico, qui eos in via Domini prospere dirigat, providere volentes, ac de Catholicæ Religionis zelo, doctrinâ, prudentiâ, dexteritate, integritate, charitate, aliisque virtutibus tuis plurimum in Domino confisi, teque à quibusvis ex-

communicationis, suspensionis & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris & pœnis, à jure vel ab homine quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existis, ad effectum præsentium duntaxât consequendum harum serie absolventes & absolutum fore censentes, de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotio propagandæ Fidei præpositorum consilio, te in prædicto regno Tunchini cum administratione supra expressarum Provinciarum Vicarium Apostolicum, donec, & quo usque à prædictorum Cardinalum Congregatione fuerit aliter mandatum aut dispositum, authoritate Apostolica tenore præsentium facimus, constituimus & deputamus: Dantes tibi facultatem, ut si contingat aliquem ex Venerabilibus Fratribus, Petro Lambert Episcopo Beritensi, Vicario Apostolico Cocincinæ, cum administratione infrascriptarum Provinciarum, videlicet Cechiang, Fochien, Quantung, Chiamsi, Insula Haynam, aliarumque insularum à nobis constituto; nec-non Episcopo mox expediendo pro Vicariatu Nanchini in Sinâ cum administratione Provinciarum Pechuin, Xansi, Xantung, Coreæ &

Tartariæ, in itinere, vel poſtquam illuc pervenerint, morte, vel alio eventu deficere; tu ſi deficienti proximior fueris, poſſis etiam ad eas Provincias, quæ eidem deficienti Epiſcopo ſuberant, adminiſtrationem extendere, vel cum alio Epiſcopo novam diviſionem inire. Qua ratione eorum Chriſti-fidelium neceſſitatibus aptius conſultum videbitur, ne prorſus Paſtore deſtituti remaneant, donec per memoratam Cardinalium Congtegationem, quam ſtatim de prædictis certiorem reddere curabis, aliter fuerit diſpoſitum. Ut autem in partibus prædictis Sacerdotum indigenarum ordinatio facilius peragi, atque ita Fides Catholica ibidem firmius benedicente Domino radicari valeat, tibi cum Chriſti fidelibus earumdem partium indigenis, uti Vicario Apoſtolico vigore præſentium pro tempore ſubditis, ut ipſi, licet idioma Latinum non intelligant, nihilominus dummodo illud legere norint, eiſque Canon Miſſæ ac formulæ Sacramentorum Eccleſiæ declarentur, ad omnes, etiam ſacros & Preſbyteratus Ordines, ſervatis alias ſervandis, promoveri, & promoti in illis, etiam in Altaris miniſterio miniſtrare libere & licite poſſint & valeant, diſpen-

ſandi; nec-non recitationem Officii divini, Horarum ſcilicet Canonicarum eiſdem Chriſti-fidelibus in recitationem aliarum precum in eorum linguâ arbitrio tuo commutandi facultatem, pariter authoritate & tenore præſentis ad ſeptennium duntaxat concedimus & impartimur, ſalvâ ſemper in præmiſſis authoritate Congregationis prædictorum Cardinalium: nonobſtantibns præmiſſis, nec-non Apoſtolicis, ac in univerſalibus provincialibuſque Conciliis, editis generalibus, vel ſpecialibus, Conſtitutionibus & Ordinationibus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. DATUM Romæ apud S. Mariam Majorem ſub annulo Piſcatoris, die 9. Septembris 1659. Pontificatus noſtri anno 5. S. Ugolinus.

*Extant Brevia ſimilis formæ pro Illuſtriſſimis Epiſcopis Beritenſi & Metellopolenſi* anno

# DECRETUM SANCTI OFFICII ROMANI,

*Quo Illustrissimo Episcopo Heliopolitano conceditur authoritas deputandi duodecim Sacerdotes cum facultate consecrandi Calices.*

Feria 5. die 26. Februarii 1660.

IN Congregatione Generali sanctæ Romanæ & universalis Inquisitionis habitâ in Palatio Apostolico apud Sanctum Petrum, coram S.D.N. Alexandro divinâ Providentiâ Papa VII. ac Eminentissimis & Reverendissimis Dominis S. R. E. Cardinalibus in totâ Republicâ Christiana contra hæreticam pravitatem Inquisitoribus Generalibus à sancta Sede Apostolica specialiter deputatis, relato Decreto sacræ Congregationis de propagandâ Fide ad sanctum Officium transmisso pro R. P. D. Episcopo Heliopolitano, Vicario Apostolico in regno Tunkini Sanctissimus Dominus noster Alexander Papa VII. prædictus concessit ei authoritatem deputandi duodecim Sacerdotes cum facultate consecrandi calices, patenas, &

altaria portatilia, cum oleis ab Episcopo benedictis, ubi non erunt Episcopi, vel distent per duas dietas, vel Sedes vacet.

JOANNES LUPUS Sanctæ Romanæ & universalis Inquisitionis Notarius.

*Extant Decreta similis forma pro Illustrissimis Episcopis Beritensi & Metellopolensi.*

# BREVE,

*QVO VENERABILIBVS Fratribus Francisco Pallu Heliopolitano, & Petro Lambert Beritensi, conceditur ei qui superstes fuerit Sacerdotem in Episcopum consecrandi.*

ALEXANDER P.P. VII.

VENERABILES Fratres, Salutem & Apostolicam benedictionem. Onerosa Pastoralis officii cura, quâ Ecclesiæ Catholicæ per universum orbem diffusæ regimini superni dispositione consilii præsidemus, animum nostrum jugiter sollicitat, ut animarum periculis, quantum cum Domino possumus, mature occurrere, & spiritualibûs Christi-fidelium, præsertim in longinquis partibus degentium, utilitatibus prospicere studeamus. Aliàs siquidem te Frater Francisce Episcope Heliopolitane in Regno Tunкini & infrascriptis Provinciis adjacentibus, videlicet Junam, Queicheu, Hugang, Succiiem, Quangsii & Laos: Te vero Frater Petre Episcope Beritensis in Cocincinâ, ac Provinciis Cechiam, Fochien, Quantung, Chiamsii, Insula Haynam, aliisque

insulis, nec-non tunc in humanis agentem bonæ memoriæ Ignatium Cotolendi, dum vixit Episcopum Metellopolitanum, Nanchini in Sina, ac Provinciarum Pechim, Xansii, Xantung, Honan, Xensii, Coreæ, & Tartariæ respective Vicarios Apostolicos, donec & quo usque à Congregatione venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis propagandæ Fidei præpositorum aliter mandatum, aut dispositum foret, authoritate Apostolicâ fecimus, constituimus & deputavimus: Dantes vobis & Domino Ignatio Episcopo facultatem, ut si contingeret aliquem ex vobis & eodem Ignatio Episcopo, in itinere, vel postquam illuc pervenissetis, morte vel alio eventu deficere, ille vestrum, qui deficienti proximior foret, posset etiam ad eas Provincias, quæ eidem deficienti Episcopo suberant, administrationem extendere, vel cùm alio Episcopo novam divisionem inire; qua ratione eorum Christi-fidelium necessitatibus aptius consultum videretur, ne prorsus Pastore destituti remanerent, donec per memoratam Cardinalium Congregationem, quam statim de prædictis certiorem reddi voluimus, aliter foret dispositum. Ut autem in partibus

prædictis Sacerdotum indigenarum ordinatio facilius peragi, atque ita Fides Catholica ibidem benedicente Domino radicari valeret, tam vobis, quam prædicto Ignatio Episcopo, cum Christi fidelibus eorumdem partium indigenis, qui vobis & eidem Ignatio Episcopo uti Vicariis Apostolicis à nobis, ut prædicitur, deputatis respective subditi essent, ut ipsi, licet idioma Latinum non intelligerent; nihilominus, dummodo illud legere nossent, eisque Canon Missæ & formulæ Sacramentorum declararentur, ad omnes, etiam sacros & Presbyteratus Ordines, servatis alias servandis, promoveri & promoti in illis, etiam in Altaris ministerio ministrare libere & licite possent & valerent, dispensandi; nec-non recitationem divini Officii, Horarum videlicet Canonicarum, eisdem Christi fidelibus in recitationem aliarum precum in eorum linguâ arbitrio vestro commutandi, facultatem authoritate prædictâ ad sept ennium duntaxat concessimus & impartiti sumns, salva tamen in præmissis authoritate Congregationis prædictorum Cardinalium, & alias, pro ut in ternis nostris litteris in simili formâ Brevis, binis quidem die 9. Septembris 1659. reliquis vero

die 20. Septembris 1660. reſpectivè expeditis, quarum tenores præſentibus pro plene & ſufficienter expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis haberi volumus, uberius continetur. Cum autem & ſicut nobis nuper relatum fuit, prædictus Ignatius Epiſcopus viam univerſis carnis ingreſſus fuerit: Si vero utriuſque vel alterius veſtrûm obitu quoque eveniente, Epiſcopi hinc denuo ad iſtas partes Vicariatum Apoſtolicum exercendi gratiâ mittendi eſſent, non ſolum maximæ difficultates ſuperandæ, graviſſimique labores exantlandi forent, ſed etiam grave periculum immineret, ne inter longas temporis moras, quas intercurrere neceſſe foret, grande illud opus directionis Chriſti fidelium iſthic degentium propagandæque Chriſtianæ Religionis à vobis laudabiliter incœptum omnino deperiret: Hinc eſt, quòd pro commiſſâ Nobis cœlitus gregis Dominici cura, memoratorum Chriſti fidelium periculis, & animarum ſaluti ſalubriter providere cupientes; ac de utriuſque veſtrum Fide, pietate, integritate, prudentiâ, charitate, paſtorali vigilantiâ, & Catholicæ Religionis zelo, plenam habentes in Domino fiduciam, veſtrumque ſingulares perſonas à quibus-

vis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris & pœnis, à jure vel ab homine quavis occaſione, vel causâ latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt, ad effectum præſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, de prædictorum Cardinalium negotiis propagandæ Fidei præpoſitorum conſilio, illi ex vobis, qui alteri, quem præmori contigerit, ſuperſtes fuerit, ut unum ex Preſbyteris hinc vobiſcum ad iſtas partes profectis, quem in Domino magis idoneum, & tanto muneri exequendo aptiorem judicaverit, Eccleſiæ in partibus Infidelium conſiſtenti, quæ per obitum prædefuncturi ex vobis Paſtoris fuerit deſtituta ſolatio, in Epiſcopum & Paſtorem authoritate noſtrâ Apoſtolicâ præficere; eique ſic præfecto munus conſecrationis cum aſſiſtentia duorum aliorum Preſbyterorum, etiamſi non ſint Epiſcopi, nec in Eccleſiaſticâ dignitate conſtituti, ſi adfuerint; ſin minus etiam ſine illorum aſſiſtentiâ, ſervatis tamen, quantum locus & tempus permiſerint, cæremoniis in conſecratione Epiſcoporum adhiberi ſolitis, ac recepto prius ab illo, noſtro ac Romanæ Eccleſiæ

nomine fidelitatis debitæ ſolito juramento, impendere liberè & licitè poſſit & valeat, facultatem dictâ authoritate tenore præſentium tribuimus & impartimur: ac eundem Epiſcopum ſic ordinandum ex nunc, prout ex tunc, poſtquam ordinatus & conſecratus fuerit, ut prædicitur, Vicarium Apoſtolicum in partibus ſupradictis, loco illius ex vobis qui prior deceſſerit, cum omnibus & ſingulis facultatibus, ei per prædictas noſtras litteras attributis, donec tamen & quouſque à prædictâ Cardinalium Congregatione, aliter mandatum & diſpoſitum fuerit, authoritate & tenore ſupradictis deputamus, ſubſtituimus, & ſubrogamus: ſalva tamen pariter in præmiſſis authoritate dictæ Congregationis Cardinalium: quam de iiſdem præmiſſis ab alterutro veſtrûm ſuperſtite, quanto citius fieri poterit volumus fieri certiorem. Cæterum prædicto Epiſcopo, ut ipſe ad Eccleſiam, cui vigore præſentium præfectus fuerit, quandiu illa ab Infidelibus detinebitur, accedere & apud illam perſonaliter reſidere minime teneatur; itidem ex nunc pro ut ex tunc dictâ authoritate harum ſerie concedimus & indulgemus: Nonobſtan-

tibus Apoſtolicis ac in univerſalibus & provincialibus Conciliis, editis generalibus vel ſpecialibus Conſtitutionibus & Ordinationibus, cæteriſque contrariis quibuſcunque. DATUM Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub annulo Piſcatoris, die 4. Februarii 1664. Pontificatus noſtri anno nono.

*Sumptum ex minutâ originali Brevium ſecretorum felicis recordationis Alexandri P.P. VII. Collatum concordat.*

*I.G. SLVSIVS.*

# BREVE,

## *QVO CONCEDITVR VICARIIS ſuperſtitibus facultas conſecrandi Epiſcopum in locum defuncti D. D. &c.*

## ALEXANDER P.P. VII.

*Ad futuram rei memoriam,*

E Sublimi Sedis Apoſtolicæ ſpeculâ univerſas Chriſtiani orbis partes mentis oculis jugiter perluſtrantes, vigilantiam noſtram omni ſtudio ad illa convertimus, per quæ ſpiritualibus Chriſti fidelium quorumcumque; & præſertim eorum qui in remotiſſimis partibus degunt, utilitatibus ſalubriter conſultum iri arbitramur. Alias ſiquidem Nos per quaſdam noſtras in ſimili formâ Brevis die 20. Septembris 1660. expeditas litteras tunc in humanis agentem bonæ memoriæ Ignatium Cotolendi Epiſcopum Metellopolitanum, Vicarium Apoſtolicum Nankini in Sina, cum adminiſtratione Provinciarum Pechim, Xanſii, Xantung, Honan, Xenſii, Coreæ, & Tartariæ, donec & quouſque à Congregatione venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium

negotiis prapagandæ Fidei præpositorum, foret aliter mandatum & dispositum, authoritate Apostolica fecimus, constituimus & deputavimus: dantes eidem Ignatio Episcopo facultatem, ut, si contingeret aliquem ex venerabilibus Fratribus Francisco Pallu Episcopo Heliopolitano, Vicario Apostolico in regno Tunkini, & infrascriptis Provinciis adjacentibus, videlicet Junam, Queicheu, Hugang, Succuen, Quangsii & Laos; ac Petro Lambert Episcopo Beritensi Vicario Apostolico Cocincinæ cum administratione Provinciarum Cechiam, Fochiem, Camtung, Quiamsii, Insulæ Haynam, aliarumque Insularum prius à nobis per alias binas nostras litteras, pariter in formâ Brevis, die 9. Septembris 1659. emanatas respective constitutis, in itinere, vel postquam illuc peruenissent, morte vel alio eventu deficere, dictus Ignarius Episcopus, si deficiente proximior foret, posset etiam ad eas Provincias, quæ eidem deficienti Episcopo suberant, administrationem extendere, vel cum alio Episcopo novam divisionem inire; qua ratione eorum Christi-fidelium necessitatibus aptius consultum videretur, ne prorsus Pastore destituti remaneant, donec per memoratam

Cardinalium Congregationem, quam statim de prædictis certiorem reddi voluimus, aliter foret dispositum. Ut autem in partibus prædictis Sacerdotum indigenarum ordinatio facilius peragi, atque ita Fides Catholica ibidem firmius benedicente Domino radicari valeret: Eidem Ignatio Episcopo cum Christi fidelibus earumdem partium indigenis sibi uti Vicario Apostolico hujusmodi pro tempore subditis, ut ipsi, licet idioma Latinum non intelligerent: nihilominus, dummodo illud legere nossent, eisque Canon Missæ ac formulæ Sacramentorum Ecclesiæ declararentur, ad omnes etiam sacros & Presbyteratûs Ordines, servatis aliàs servandis promoveri & promoti in illis, etiam in Altaris ministerio ministrare liberè & licitè possent & valeant, dispensandi: nec-non recitationem Officii divini, Horarum scilicet Canonicarum eisdem Christi fidelibus in recitationem aliarum precum in eorum lingua arbitrio suo commutandi facultatem dictâ authoritate ad septennium duntaxat concessimus & impertiti sumus. Et subinde nobis relato, quod prædictus Ignatius Episcopus viam universæ carnis ingressus fuerat: Nos de memoratorum Cardinalium consilio per

alias noſtras etiam in forma Brevis, die 4. Februarii 1664. expediri litteras, illi ex prædictis Franciſco & Petro Epiſcopis, Vicariis Apoſtolicis, ut prædicitur, deputatis, qui alter eorum quem præmori contingeret, ſuperſtes foret, ut unum ex Preſbyteris, hinc unà cum illis ad partes prædictas profectis, quem in Domino magis idoneum, & tanto muneri exequendo aptiorem judicaret, Eccleſiæ in partibus Infidelium conſiſtenti, quo per obitum prædefunctum ex ipſius Paſtoris foret deſtituta ſolatio, in Epiſcopum & Paſtorem authoritate noſtrâ prædicta præficere, eique ſic præfecto munus conſecrationis cum aſſiſtentiâ aliorum duorum Preſbyterorum, etiamſi non eſſent Epiſcopi; nec in Eccleſiaſticâ dignitate conſtituti, ſi adeſſent, ſin minus etiam ſine illorum aſſiſtenriâ, ſervatis tamen, quantum locus & tempus permitterent, cæremoniis in conſecratione Epiſcoporum obſervari ſolitis, ac recepto prius ab illo, noſtro & Romanæ Eccleſiæ nomine fidelitatis debitæ ſolito juramento, impendere valeret, facultatem eâdem authoritate tribuimus. Ac eundem Epiſcopum ſic ordinandum ex tunc pro ut poſtquam ordinatus & conſecratus foret, ut

prædicetur : Vicarium Apoſtolicum in partibus ſupradictis loco illius, ex prædicto Franciſco & Petro Epiſcopis, qui prior deceſſiſſet, cum omnibus & ſingulis facultatibus ei per prædictas noſtras litteras attributis, donec tamen & quouſque à prædicta Cardinalium Congregatione aliter mandatum vel diſpoſitum foret, dictâ authoritate deputavimus, ſubſtituimus & ſuhrogavimus, ſalvâ tamen in præmiſſis authoritate ejuſdem Congregationis Cardinalium, quam de eiſdem præmiſſis ab alterutro dictorum Franciſci & Petri Epiſcoporum ſuperſtite, quanto citius fieri poſſet volumus fieri certiorem; & alias pro ut quaternis litteris noſtris prædictis, quarum tenores præſentibus pro plene & ſufficienter expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis haberi volumus, uberius continetur. Cum autem ſicut prædicti Franciſcus & Petrus Epiſcopi per dilectum filium Preſbyterum, quem illinc ad nos miſerunt, nobis nuper exponi fecerunt, ipſi è re dominici gregis magnopere futurum exiſtiment, ſi ſupradicto Ignatio Epiſcopo defuncto ſucceſſor in Vicariatu Apoſtolico ei, ſicut prædicitur, demandato, conſtituatur: Noſque commiſſa nobis divinitus Paſtoralis Officii

cura Christianæ Religionis , Catholicæque Fidei propagationi & animarum saluti, quantum nobis ex alto conceditur, providere volentes, ac de eorumdem Francisci & Petri Episcoporum singulari fide, prudentiâ, integritate, charitate, industriâ, vigilantiâ, & Catholicæ Religionis zelo plurimum in Domino confisi, & eorum singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris & pœnis, à jure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium duntaxat consequendum harum serie absolventes & absolutas fore censentes, de consilio Congregationis venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium super negotiis spiritualibus regni Sinarum à nobis deputatæ, memoratis Francisco & Petro Episcopis, ut unum ex prædictis Presbyteris cum ipsis unâ ad partes supradictas, profectis, quem obeundo Vicariatus Apostolici hujusmodi muneri magis idoneum in conscientia judicaverint, Ecclesiæ Metellopensi per obitum dicti Ignatii Episcopi solatio Pastoris ad præsens destitutæ in Episcopum & Pastorem authoritate

nostra

nostra Apostolica præficere, illique sic præfecto munus consecrationis cum assistentia unius vel duorum aliorum Presbyterorum, etiamsi non sint Episcopi, nec in Ecclesiastica dignitate constituti, si adfuerint; sin minus etiam absque ejusmodi assistentia servatis tamen, quantum tempus & locus permiserint, cæremoniis in Episcoporum consecratione adhiberi solitis, receptoque prius ab eo, nostro & prædictæ Romanæ Ecclesiæ nomine, fidelitatis debitæ solito juramento pariformiter impendere libere & licite possint & valeant, facultatem authoritate prædictâ tenore præsentium tribuimus similiter & impartimur, eadem tamen lege, ut hac facultate non utantur, nisi quando eis permissum fuerit ingredi ea loca in quibus Vicariatum Apostolicum prædicto Ignatio Episcopo, sicut supra dictum est, demandavimus. Quod si dicti Franciscus & Petrus Episcopi propter locorum distantiam, vel aliud impedimentum, quo hujusmodi Episcopi in locum prædicti Ignatii defuncti ordinatione insimul convenire nequiverint, totam hanc facultatem remanere volumus penes prædictum Petrum Episcopum Berytensem, qui si tempore adventus præsentium litterarum,

ad illas partes de hoc ſæculo migraverit, eadem facultas penes memoratum Franciſcum Epiſcopum Heliopolitanum reſideat; ambobus autem ab hac luce ſubſtractis, hanc eandem facultatem ordinandi Epiſcopum dictæ Eccleſiæ Metellopolitanæ in locum ſupra dicti Ignatii defuncti, habeat ille Epiſcopus quem alter ſuperſtes ex iiſdem Franciſco & Petro Epiſcopis in vim prædictarum noſtrarum litterarum, die 4. Februarii 1664. emanatarum conſecraverit: Ac Epiſcopum vigore præſentium litterarum, ſicut præmittitur, ordinandum ex nunc, pro ut ex tunc poſtquam ordinatus conſecratus fuerit, Vicarium Apoſtolicum in partibus ſupradictis loco memorati Ignatii Epiſcopi cum omnibus, & ſingulis facultatibus quæ eidem Ignatio Epiſcopo per prædictas noſtras litteras quomodolibet attributæ fuerint, donec tamen & quo uſque à memorata Congregatione Cardinalium aliter mandatum, vel diſpoſitum fuerit, authoritate & tenore prædictis deputamus, pariter ac ſubſtituimus & ſubrogamus, ſalvâ tamen ſemper in præmiſſis authoritate ejuſdem Congregationis Cardinalium, quam de his omnibus quæ earumdem præſentium litterarum vigore geſta fuerint, quanto

citius fieri poterit, ſimiliter volumus reddi certiorem. Demum novo Epiſcopo Metellopolitano, ſicut prædicitur, ordinando, ut ipſe ad Eccleſiam Metellopolitanam hujuſmodi, quandiu illa ab infidelibus detinebitur, accedere, & apud illam perſonaliter reſidere minime teneatur, dictâ authoritate earumdem tenore præſentium concedimus & indulgemus, nonobſtantibus omnibus & ſingulis illis quæ in ſupradictis litteris noſtris voluimus non obſtare; cæteriſque contrariis quibuſcumque. DATUM Romæ apud S. Mariam Majorem ſub annulo Piſcatoris, die 28. Februarii, anno 1665. Pontificatus noſtri anno decimo.

*Sumptum ex minutâ originali Brevium ſecretorum felicis recordationis Alexandri P.P. VII. Collatum concordat.*

*I. G. SLVSIVS.*

*FACULLATES CONCESSÆ A Sanctissimo Domino nostro Domino Clemente divinâ Providentiâ Papa IX. R.P.D. Francisco Episcopo Heliopolitano, Vicario Apostolico in Regno Tunkini cum administratione infrascriptarum Provinciarum Chinæ Tunkini adjacentium, videlicet Iunam, Queicheu, Hugang, Succüen, Quamsii, & Regni Laos.*

1. CONFERENDI Ordines extra tempora, & non servatis interstitiis, usque ad Presbyteratum inclusive, si Sacerdotum necessitas ibi fuerit.

2. Dispensandi in quibuscunque irregularitatibus, exceptis illis, quæ vel ex bigamiâ verâ, vel ex homicidio voluntario proveniunt, & in his etiam duobus casibus, si præcisa necessitas operariorum ibi fuerit; si tamen quoad homicidium voluntarium ex hujusmodi dispensatione scandalum non oritur.

3. Dispensandi super defectu ætatis unius anni ob operariorum penuriam, ut promoveri possint ad sacerdotium, si alias idonei fuerint.

4. Dispensandi & commutandi vota simplicia in alia pia opera, & dispensandi

ex rationabili causâ in votis ſimplicibus Caſtitatis & Religionis.

5. Abſolvendi & diſpenſandi in quacunque ſimoniâ, & in reali, dimiſſis beneficiis & ſuper fructibus male perceptis, injunctâ aliquâ eleemoſynâ, vel ſalutari pœnitentiâ arbitrio diſpenſantis; vel etiam retentis beneficiis, ſi fuerint parochialia, & non ſint qui Parochiis præfici poſſint.

6. Diſpenſandi in tertio vel quarto conſanguinitatis & affinitatis ſimplici & mixto, & in ſecundo, tertio, & quarto mixtis; non tamen in ſecundo ſolo quoad futura matrimonia; quo vero ad præterita etiam in ſecundo ſolo, dummodo nullo modo attingat primum gradum cum his qui ab hæreſi, vel infidelitate convertuntur ad Fidem Catholicam, & in prædictis caſibus prolem ſuſceptam declarandi legitimam.

7. Diſpenſandi ſuper impedimento publicæ honeſtatis juſtitiæ ex ſponſalibus proveniente.

8. Diſpenſandi ſuper impedimento criminis, neutro tamen conjugum machinante, & reſtituendi jus petendi debitum amiſſum.

9. Diſpenſandi in impedimento cogna-

tionis ſpiritualis, præterquam inter levantem & leuatum.

10. Hæ vero diſpenſationes matrimoniales, videlicet ſexta, ſeptima, octava, & nona non concedantur, niſi cum clauſulâ, dummodo mulier rapta non fuerit, aut ſi rapta fuerit, in poteſtate raptoris non exiſtat, & in diſpenſatione tenor hujuſmodi facultatum inſeratur, cum expreſſione temporis ad quod fuerint conceſſæ.

11. Diſpenſandi cum Gentilibus & Infidelibus plures uxores habentibus, ut poſt converſionem & baptiſmum, quam ex illis maluerint, ſi etiam illa fidelis fiat, retinere poſſint, niſi prima voluerit converti.

12. Conficiendi olea ſacra cum Sacerdotibus quos potuerit habere, & ſi neceſſitas urgeat, etiam extra diem Cœnæ Domini.

13. Delegandi ſimplicibus Sacerdotibus poteſtatem benedicendi paramenta & alia utenſilia ad ſacrificium Miſſæ neceſſaria, ubi non intervenit ſacra unctio, & reconciliandi Eccleſias pollutas aquâ ab Epiſcopo benedictâ, & in caſu neceſſitatis etiam aqua ab Epiſcopo non benedictâ.

14. Largiendi ter in anno Indulgentiam plenariam contritis & confessis, ac sacra Communione refectis.

15. Absolvendi ab hæresi & apostasiâ à fide, & à schismate, etiam Ecclesiasticos tam sæculares, quam regulares, non tamen eos, qui ex locis fuerint, ubi sanctum Officium exercetur, nisi in locis Missionum, in quibus impune grassantur hæreses, deliquerint; nec eos qui judicialiter abjurauerint, nisi isti nati sint, ubi impune grassantur hæreses, & post judicialem abjurationem illuc reversi in hæresim fuerint relapsi, & hos in foro conscientiæ tantum.

16. Absolvendi ab omnibus casibus Sedi Apostolicæ reservatis, etiam in Bullâ Cœnæ Domini contentis.

17. Concedendi Indulgentiam plenariam primo conversis ab hæresi, atque etiam fidelibus quibuscunque in articulo mortis, saltem contritis, si confiteri non poterunt.

18. Concedendi Indulgentiam plenariam in oratione Quadraginta horarum ter in anno indicendâ in diebus ei bene visis, contritis, & confessis, ac sacra Communione refectis; si tamen ex concursu populi & expositione sanctissimi Sacramenti nulla pro-

babilis suspicio sit sacrilegii ab Hæreticis & Infidelibus, aut Magistratum offensum iri.

19. Lucrandi sibi easdem Indulgentias.

20. Singulis secundis feriis non impeditis Officio novem lectionum, vel eis impeditis, die immediate sequenti celebrando Missam de requiem in quocunque altari, etiam portatili liberandi animam secundum ejus intentionem à Purgatorii pœnis per modum suffragii.

21. Tenendi & legendi, non tamen aliis concedendi libros Hæreticorum vel Infidelium de eorum religione tractantium, ad effectum eos impugnandi & alios quomodolibet prohibitos, præter opera Caroli Molinæi, Nicolai Machiavelli, ac libros de Astrologia Judiciariâ, principaliter vel incidenter, vel alio quovis modo de ea tractantes; ita tamen, ut libri ex illis Provinciis non efferantur.

22. Præficiendi Parochiis regulares, eosque suos deputandi Vicarios in defectu sæcularium, de consensu tamen suorum Superiorum.

23. Celebrandi bis in die, si necessitas urgeat, ita ut in primâ Missâ non sumpserit ablutionem per unam horam ante auroram, & aliam post meridiem sine ministro sub Dio & sub terrâ, in loco tamen decenti

etiamsi altare sit fractum, vel sine reliquiis Sanctorum & præsentibus Hæreticis, Schismaticis, Infidelibus & excommunicatis, & aliter celebrari non possit. Caveat vero ne prædictâ facultate vel dispensatione celebrandi bis in die, aliter quam ex gravissimis causis & rarissime utatur, in quo graviter ipsius conscientia oneratur. Quod si hanc eandem facultatem alteri Sacerdoti juxta facultatem inferius apponendam communicare, aut causas eâ utendi alicui qui à sancta Sede hanc facultatem obtinuerit, approbare visum fuerit, serio ipsius conscientiæ injungitur, ut paucis duntaxat, iisque maturioris prudentiæ ac zeli, & qui absolutè necessarii sunt, nec pro quolibet loco, sed ut gravis necessitas tulerit, & ad breve tempus eandem communicet, aut respective causas approbet.

24. Deferendi Sanctissimum Sacramentum occulte ad infirmos sine lumine, illudque sine eodem retinendi pro eisdem infirmis, in loco tamen decenti, si ab Hæreticis aut Infidelibus sit periculum sacrilegii.

25. Induendi vestibus sæcularibus, si aliter vel transire ad loca ejus curæ commissa, vel in eis permanere non poterit.

26. Recitandi Rosarium vel alias preces, si Breviarium secum deferre non poterit, vel divinum Officium ob aliquot legitimum impedimentum recitare non valeat.

27. Dispensandi, quando expedire videbitur, super usu carnium, ovorum & lacticiniorum tempore jejuniorum & Quadragesimæ.

28. Communicandi has facultates in totum vel in parte Sacerdotibus idoneis qui in prædictis Regnis & Provinciis laborabunt tam pro omnibus locis in iisdem contentis, quam pro aliquibus eorum & ad tempus sibi bene visum, pro ut magis in Domino expedire judicauerit: nec-non easdem, quatenus opus fuerit, revocandi, sive etiam moderandi tam circa illarum usum, quam circa loca & tempus easdem exercendi. Quæ facultates etiam à Pro-Vicario seu Pro-Vicariis communicari possint, si difficilis erit recursus ad Vicarium Apostolicum, exceptis illis quæ Ordinem Episcopalem & sacrorum Oleorum usum requirunt. Tempore vero obitus Vicarii, liceat eidem has facultates alteri communicare, ut sede vacante, sit qui possit supplere donec Sedes Apostolica certior facta, quod quamprimum fieri debebit

per delegatos, vel per unum ex eis alio modo provideat.

29. Et prædictæ facultates gratis, & sine ulla mercede exerceantur, & ad annos quindecim concessæ intelligantur, nec iis ullo modo uti possit extra fines sui Vicariatus.

*Feria 5. die 13. Iunii 1669.*

IN Congregatione Generali Sanctæ Romanæ & universalis Inquisitionis habitâ in Palatio Apostolico apud Sanctam Mariam Majorem Sanctissimus Dominus noster Clemens Papa IX. prædictus concessit supradicto R. P. D. Francisco Episcopo Heliopolitano, Vicario Apostolico in regno Tunkini cum administratione infrascriptarum Provinciarum Chinæ adjacentium, videlicet Junam, Queicheu, Hugang, Succuen, Quangsii, & regni Laos ad quindecim annos proxime futuros. CARDINALIS BARBERINUS, & Franciscus Riccardus Sanctæ Romanæ, & universalis Inquisitionis Notarius.

# CLEMENS IX.

## *CONCEDIT LICENTIAM ordinandi indigenas absque titulo, prorogat facultatem ad septennium.*

AD FUTURAM REI MEMORIAM.

ALIAS emanatum à fœlicis recordationis Alexandro P. P. VII. prædecessore nostro litteræ in simili forma brevis, tenoris qui sequitur, videlicet, Alexander Papa VII. ad futuram rei memoriam. Injuncti nobis cœlitus Pastoralis officii ratio postulat, ut nihil à nobis desiderari patiamur, quo Christiana Religio, præsertim in longinquis partibus fœlicius in dies aspirante atque adjuvante Domino valeat propagari. Alias siquidem Venerabiles Fratres Franciscum Pallu Heliopolitanum, ac Petrum Lambert Beritensem; (nec-non tunc in humanis agentem bonæ memoriæ Ignatium Cotolendi Metellopolitanum Episcopos, Vicarios Apostolicos respective in partibus Sinarum sub certis modo & formâ tunc expressis deputavimus. Ut autem in partibus prædictis Sacerdotum Indigena-

rum ordinatio facilius peragi, atque ita Fides Catholica ibidem firmius benedicente Domino radicari valeret, memoratis Francisco, Petrô & Ignatio Episcopis cum Christi fidelibus earumdem partium indigenis sibi respective uti Vicariis Apostolicis hujusmodi pro tempore subditis, ut ipsi, licet idioma Latinum non intelligerent, nihilominus, dummodo illud legere nossent, eisque Canon Missæ ac formulæ Sacramentorum Ecclesiæ declararentur, ad omnes etiam sacros Presbyteratus Ordines, servatis alias servandis promoveri & promoti in illis & in altaris ministerio ministrare liberè & licitè possent & valerent dispensandi, nec-non recitationem Officii divini, Horarum scilicet Canonicarum Christi fidelibus in recitationem aliarum precum in earum linguâ arbitrio suo commutandi facultatem authoritate Apostolicâ ad septennium duntaxat concessimus & impartiti sumus, & alias, pro ut in ternis nostris in simili formâ Brevis litteris, die 9. Septembris 1659. respective desuper expeditis, quarum tenores præsentibus pro plene & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis haberi volumus, uberius continetur. Cum

tem ſicut pro parte prædictorum Fran-
ſci & Petri Vicariorum Apoſtolicorum,
: prædicitur, deputatorum nobis nuper
:poſitum fuit dictum ſeptennium verſus
nem jam labatur; bona vero ſtabilia
nenſium ad poſſidentes abſolute non
ectent, ſed illorum Domini ſint Reges,
ui dicta bona, quibus libitum eſt, vitâ
ırante concedunt, ac proinde ſuper
uſmodi bonis perpetui patrimonii titu-
.s pro ordinandis ad ſacros Ordines
er eorum parentes, ſeu alias in illis par-
bus aſſignari non poſſit: Nos propagan-
æ firmiuſque radicandæ in illis partibus
Catholicæ Fidei, quantum nobis ex alto
onceditur, uberius conſultum eſſe cu-
ientes, dictoſque Franciſcum & Petrum
piſcopos, Vicarios Apoſtolicos ampliori
avore gratiæ proſequi volentes, & eo-
ım ſingulares perſonas à quibuſvis ex-
ommunicationis, ſuſpenſionis, & in-
erdicti aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis,
enſuris & pœnis à jure vel ab homine
uavis occaſione vel causâ latis, ſi qui-
us quomodolibet innodatæ exiſtunt, ad
ffectum duntaxat præſentium conſe-
quendum, harum ſerie abſolventes &
bſolutas fore cenſentes, de Venerabilium
Fratrum noſtrorum R. S. E. Cardinalium

ſuper negotiis regni Sinarum à nobis deputatorum conſilio, ſeptennium prædictum ad alios ſeptem annos à fine ejuſdem ſeptennii computandæ dictâ authoritate tenore præſentium prorogamus, extendimus & ampliamus. Præterea prædictis Franciſco & Petro, nec-non duobus aliis Epiſcopis per eos, ſeu eorum alterutrum, aut primum ab eorum altero ſuperſtite ordinatum reſpective vigore aliarum binarum noſtrarum ei in formâ brevis litterarum, die Februarii 1664. & die 28. Februarii proxime præteriti reſpective expeditarum, quarum tenores itidem pro plene & ſufficienter expreſſis haberi volumus conſecrandis quos pariter Vicarios Apoſtolicos in partibus prædictis per eaſdem litteras ſub certis modo & forma ibidem expreſſis deputavimus, ut ipſi tam reſiduo primodicti ſeptennii, quam aliis ſeptem annis per præſentes prorogatis durantibus Clericos memoratarum partium indigenas, etiam abſque titulo, ſervatis tamen alias tam ex ſacrorum Canonum, quam ex primo dictarum noſtrarum litterarum præſcripto ſervandis, ad ſacros etiam Preſbyteratus Ordines promovere libere, & licite poſſint & valeant, facultatem, lapſis ſeptem annis per

præſentes litteras prorogatis illicô expiraturam authoritate & tenore prædictis concedimus & impartimur, ſalvâ tamen ſemper in præmiſſis authoritate Congregationis prædictorum Cardinalium, nonobſtantibus Apoſtolicis ac univerſalibus Provincialibus Conciliis, Editis generalibus vel ſpecialibus Conſtitutionibus & Ordinationibus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. DATUM Romæ ſub annulo Piſcatoris apud Sanctam Mariam Majorem, die 13. Martii 1665. Pontificatus noſtri anno decimo. Nunc autem nos, ut Chriſtiana Religio in partibus prædictis ſolidius benedicente Domino ſtabiliri valeat, & commiſſo nobis divinitùs Apoſtolicæ ſervitutis muneri providere, dictoſque Epiſcopos Vicarios Apoſtolicos ſpecialis favore gratiæ proſequi volentes, & eorum ſingulares perſonas à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris & pœnis à jure, vel ab homine quavis occaſione vel causâ latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt, ad effectum præſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes & abſolutas fore cenſentes, de Venerabilium Fratrum noſtrorum ejuſdem S.R.E. Cardi-

nalium negotiis propagandæ fidei præpositorum consilio , facultates eisdem Episcopis Vicariis Apostolicis per præinsertas litteras à memorato Alexandro prædecessore ad septennium prorogatas & de novo concessas, respective , ut prædicitur , ad alios septem annos à fine dicti septennii numerandos . servatâ tamen & salvâ in reliquis earumdem litterarum formâ & dispositione, authoritate Apostolica tenore præsentium prorogamus pariter & extendimus, ac ampliamus, salvâ tamen in præmissis authoritate Cougregationis eorumdem Cardinalium , nonobstantibus omnibus & singulis illis , quæ in litteris præinsertis concessa sunt nonobstare , cæterisque contrariis quibuscunque. DATUM Romæ apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris , die 13. Septembris 1659. Pontificatus nostri anno tertio.

J. G. Slusius.

# *INDULGENTIA PLENARIA pro die Assumptionis B. Mariæ Virginis.*

CLEMENS P. P. IX.

UNIVERSIS Christi fidelibus præsentes Litteras inspecturis, salutem & Apostolicam benedictionem. Ad augendam fidelium religionem, & animarum salutem cœlestibus Ecclesiæ thesauris pia charitate intenti omnibus utriusque sexus Christi fidelibus verè Pœnitentibus & Confessis, ac sacra Communione refectis, qui quamcumque ex Ecclesiis tam erectis seu exstructis, quam erigendis, seu exstruendis in regnis Tunkini, Nankini, Cocincinæ, & Siami, aliisque Sinarum & adjacentibus Provinciis, in quibus Vicarii Apostolici ab hac sanctâ sede deputati reperiuntur die festo Assumptionis B. Mariæ Virginis immaculatæ, vel aliquâ aliâ die per eosdem Vicarios Apostolicos in suis respectivè Vicariatibus, seu eorum provicarios, aut iis deficientibus, per Parochos locorum designanda à primis Vesperis usque ad occasum Solis diei hujusmodi singulis annis devotè visitaverint, & ibi pro Christianorum Principum concordiâ, hæresum extirpatione, ac sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione pias

ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum ſuorum indulgentiam & remiſſionem miſericorditer in Domino concedimus, præſentibus ad quindecim annos tantum valituris. Volumus autem, ut, ſi aliàs Chriſti fidelibus in quacunque alia anni die quamcumque ex dictis Eccleſiis, ſeu Capellam, vel altare in eâ ſitum viſitantibus aliqua alia Indulgentia perpetuò, vel ad tempus nundum elapſum duratura, etiam in erectione & quocumque alio modo quantumlibet privilegiato conceſſa fuerit, illa revocata ſit, pro ut illam per præſentes revocamus; vel ſi pro impetratione, præſentatione, admiſſione, ſeu publicatione præſentium aliquid vel minimum detur, aut etiam ſponte oblatum recipiatur, præſentes nullæ ſint. Utque ipſarum litterarum transſumptis, ſeu exemplis etiam impreſſis manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in Eccleſiaſticâ dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides in judicio & extra ubique adhibeatur, quæ ipſis præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ. DATUM Romæ apud S. Mariam Majorem ſub annulo Piſcatoris die 13. Sept. 1669. Pontificatus noſtri anno tertio. Grati. Pro Deo etiam ſcriptura. J. G. SLUSIUS.

# EX CONSTITUTIONE
# CLEMENTIS PP. IX.

*Quæ incipit, Animarum saluti paterna charitate induti.*

Data die 8. Janvarii 1669. Pontificatus nostri anno secundo.

QUia à nonnullis dubitatum fuit an omnes indigenæ illarum Regionum oriundi, & naturales, & Christianorum indigenarum & baptisatorum filii, etiam in eorum infantia baptisati, jure Neophyti appellari possint: Idcirco tenore earumdem præsentium decernimus & declaramus, omnes oriundos, seu naturales supradictarum omnium tam Orientalium quam Occidentalium partium, imo etiamsi Æthiopes, Angolani, vel quarumvis aliarum Transmarinarum regionum, etsi Christianorum filii, & in infantia baptisati; vel etiam intra se, vel cum Europeis mixtim progeniti sint, ad concessionis hujusmodi effectum, esse & intelligi debere Neophytos, dictosque Presbyteros cum hujusmodi, ut vel matrimonio con-

jungi, vel in jam contracto remanere possint, sive eorum alter tantum, sive etiam uterque inde oriundus, ac proprie indigena sit in locis & alias ut supra, in quibuscumque consanguinitatis vel affinitatis gradibus jure Divino, ut supra, non prohibitis; primo excepto, & alias ut præfertur, gratis tamen dispensare posse concedimus & indulgemus. Quin etiam, quia de mixtim ptogenitis, quos Mestisos vocant, majus dubium esse accepimus cum iisdem Mestisis, quos similiter ad hunc effectum Neophytos censendos esse decernimus in gradibus & matrimoniis contractis & contrahendis prædictis, gratis tamen, dum modo non ita facile fiat, dispensare, &c.

# CLEMENS PAPA IX.

*Ad futuram rei memoriam.*

SPECULATORES Domus Israël, quæ est sancta Dei Ecclesia, in terris à Do-
ino constituti, ad illa præcipuè charita-
s, atque vigilantiæ nostræ Pastoralis stu-
ia convertimus, quæ Christianæ Religio-
is, Catholicæque fidei propagationem
oncernunt; ut illis certam atque pruden-
em, ex solita hujus sanctæ Sedis Provi-
entia, & rectitudine, normam tradamus;
sublatis dubiis, atque Controversiis, quæ
ter Operarios in Vineam Domini missos,
eaque sedulò laborantes, enasci, illo-
imque labores, & laborum fructum tur-
are, vel impedire possent, omnia piè,
nctèque (quantum Dominus donare di-
natur) disponere satagamus, quo optati
rgant, benedicente Domino, fructus,
ad maturitatem perducantur, sanctaque
ater Ecclesia uberioribus, atque lætiori-
is indies gaudeat incremẽtis. Cùm itaque
cut venerabilis frater Franciscus Episco-
is Heliopolitanus, Vicarius Apostolicus
Regno Tunchini, cum administratione
ovinciarum Sinæ huic Regno adjacen-

tium, videlicet Junam, Queikeu, Hucquang, Succüen, Quangſij, & Laos, à fel. rec. Alexandro PP. VII. Prædeceſſore noſtro conſtitutus, & deputatus, tàm ſuo, quàm venerabilis pariter fratris Petri Epiſcopi Beriten. Vicarii Apoſtolici Cochinchinæ, cum adminiſtratione infraſcriptarum Provinciarum Sinæ, videlicet Cechiang, Fochien, Quantumg, Chiamſi, Inſulæ Haynan, & aliarum Inſularum, atque etiam Epiſcopi Metellopolitan. conſecrati, aut mox conſecrandi Vicarii Apoſtolici Nanchini in Sina, cum adminiſtratione Provinciarum Pechiin, Xanſii, Xantung, Honan, Xenſij, Coreæ, & Tartariæ ab eodem Alexandro Prædeceſſore pariter conſtitutorum, cum extenſione adminiſtrationis dicti Epiſcopi Metellopolitan. ad Civitatem Iuthiæ, totumque Siami Regnum à nobis nuper facta, nominibus, exponi fecit, quòd in dictis Regnis, & Provinciis reperiantur diverſorum Ordinum Religioſi, tàm à ſuis reſpectivè Superioribus generalibus, quàm à Congregatione venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium, negotiis Propagandæ fidei præpoſitorum, deſtinati, qui Miſſionibus ibidem ſub directione ſuorum reſpectivè Præpoſitorum, aut Præfectorum

rum operam navant; eorumque nonnulli,
it necessarios Operarios multiplicarent,
aliquos ex ferventioribus Neophytis, Ca-
techistas effecerint, illosque sibi, suæque
directioni quibusdam votis adstrinxerint:
Prædicti verò Episcopi Vicarii Apostolici
humiliter à nobis postulaverint, ut aucto-
ritate nobis à Domino tradita, decernere,
atque declarare dignaremur: Primò, an ali-
qua sit inter Vicarios Apostolicos, & Re-
gulares prædictos subordinatio, & in qui-
bus hi ab illis dependere debeant? Secundò,
an Catechistæ per vota Regularibus facta
eximantur à Jurisdictione eorundem Vica-
riorum Apostolicorum? Nos attenden-
tes eo potissimum fine in Sinam, Tun-
chinum, Cochinchinam, Siamum, & alia
vicina Regna missos, ibique constitutos
esse Episcopos Vicarios Apostolicos, ut
ex Christianis indigenis, seu Incolis illa-
rum partium instituerentur Clerici, &
Sacerdotes, ac crescente fide, fidelium-
que numero, disciplinæ Ecclesiasticæ usus
paulatim introduceretur; considerantes-
que ex independentia plurimorum Ope-
rariorum in iisdem locis, præcipuè cùm
ab hac sancta Sede sint remoti, oriri fa-
cilè posse dissensiones, rixas, divisiones,
& schismata, in Christianæ Religionis de-

trimentum atque perniciem eruptura; nisi illis maturè occurratur: de memoratorum Cardinalium consilio, auctoritate Apostolica, tenore præsentium statuimus, & ordinamus, quòd prædicti Episcopi Vicarii Apostolici ab omnibus, & singulis Religiosis cujuslibet Ordinis, Congregationis, & Instituti, etiam Societatis Jesu, in prædictaRegna, & Provincias, sivè à suis Superioribus missi sint, sivè à nobis, aut à Congregatione eorumdem Cardinalium specialiter deputati, exigere possint, & debeant ut suas Patentes, seu aliàs quascunque eorum missionis, destinationis, constitutionis, & deputationis litteras exhibeant, iisque qui illas exhibere recusaverint, tanquam Sedis Apostolicæ delegati prohibere, ne facultates sibi per litteras hujusmodi concessas exerceant: Ipsique Regulares licentiam exercendi suas facultates petere teneantur ab iisdem Episcopis Vicariis Apostolicis, quam ipsi denegare non debeant, nisi in casu gravis causæ, dictæ Congregationi Cardinalium communicandæ. Porrò dicti Regulares in defectu Sacerdotum secularium, non solùm titulo charitatis, sed etiam justitiæ, curam animarum teneantur exercere, & quate-

nus id facere recuſent, à Vicariis Apoſtolicis ad tale munus obeundum cogi poſſint. Quotieſcumque verò Regulares ſub titulo Miſſionariorum curam animarum exercebunt, ſubditi ſint, quoad functiones Parochiales, viſitationi, & correctioni Vicariorum Apoſtolicorum, aut Provicariorum eorumdem, juxta Conſtitutionem recol. me. Gregorii PP. XV. Prædeceſſoris pariter noſtri, quæ incipit: *Inſcrutabili Dei Providentia, &c.* Anno Incarnationis Dominicæ M. DC. XXII. Nonis Februarii editam. Nec ſine licentia eorundem Vicariorum Apoſtolicorum, & multò minùs contra eorum voluntatem liceat Regularibus ædificare, & aperire Eccleſias, in locis, ubi ipſi, vel alii Miſſionarii alterius Ordinis, ſeu Preſbyteri ſæculares ſimiliter Miſſionarii Eccleſias habent; ubi verò apertæ non ſunt, poſſint ad formam privilegiorum, & facultatum ipſis conceſſarum. Cùm autem præ multitudine Neophytorum in una Provincia, ant Civitate, vel præ nimia earum amplitudine unus, aut alter, qui eis præſunt Miſſionarii non ſufficiunt, aliique ſuppetunt Sacerdotes ſæculares, aut Religioſi, licet alterius Ordinis, quorum tamen ſubſidium nec illi quærunt,

nec oblatum recipiunt; tunc habito duntaxat respectu ad Christianorum necessitatem, possint & debeant Vicarii Apostolici prædicti Operarios multiplicare, Parochias dividere, aliaque ejusmodi facere juxta præscripta à Sacris Canonibus, & Concilii Tridentini decretis. Possint quoque iidem Vicarii Apostolici exigere à Regularibus rationem executionis piarum voluntatum, quatenus ad illas exequendas deputentur. Præterea juxta Constitutionem recol. me. Urbani PP. VIII. Prædecessoris pariter nostri, quæ incipit: *Ex debito Pastoralis officii, &c.* si fortè aliquæ controversiæ inter Religiosos dictarum partium (quod Deus avertat) oriantur, memorati Vicarii Apostolici, tanquam Sedis Apostolicæ delegati, illas decidere, & terminare possint, & debeant. Si verò graviora quædam negotia occurrerint, ea ad nos, & Romanos Pontifices successores nostros quanto citiùs ab iisdem Vicariis Apostolicis referantur, ut quod in illis statuendum fuerit, matura consultatione adhibita, decernatur. Ad hæc quoad vota Catechistarum, statuimus pariter, & ordinamus Votum obedientiæ, quo nonnulli Regulares eos obstringunt, eisdem non impedire sui officii

exercitium, ſub directione dictorum Vicariorum Apoſtolicorum, eorumque Provicariorum, nec iſtud impediri poſſe à Regularibus, tanquam eis, vigore dicti Voti Catechiſtæ omnimodè ſubditi ſint: quinimò Votum hujuſmodi in hac circumſtantia nullum eſſe declaramus. Volentes ab iiſdem Vicariis Apoſtolicis poſſe dictos Catechiſtas compelli, ut ſub eorum directione, & dependentia ſua munia exerceant. Et quatenus Regulares de facto adſtringerent Catechiſtas ad ſimilia Vota, & alias obligationes, quibus à Vicariis Apoſtolicis independentes remanerent, poſſe eoſdem Vicarios Apoſtolicos, publica ſignificatione, manifeſtare Regularibus, atque his intimare, ut abſtineant ab uſu, ſeu veriùs abuſu Catechiſtas Voto obedientiæ erga ſeipſos, privativè quoad Vicarios à Sede Apoſtolica deputatos, obſtringendi. Inſuper volumus ut ad Vicarios Apoſtolicos intra fines ſuorum Vicariatuum præcipuè ſpectet, maximè in curſu Viſitationis, ea inſpicere, quæ ſpectant ad fidem, bonos mores, & adminiſtrationem Sacramentorum Baptiſmi, Matrimonii, & aliorum; ad cultum Diurnum, ad preces publicas, ad Imaginum, Reliquiarumque cultum. Competat quo-

que dictis Vicariis Apostolicis facultas super novis Miraculis, & Martyribus processum instituendi, & ad memoratam Cardinalium Congregationem transmittendi; necnon circa observationem Festorum, Rituumque Ecclesiasticorum, statuendi quæcunque opportuniora videbuntur, secundùm Decreta Romanorum Pontificum, locorumque circumstantias. Ac ad eosdem Vicarios Apostolicos etiam spectet verificare, & publicare quascumque litteras Apostolicas, Constitutiones, & rescripta Romanorum Pontificum, quæ locorum Ordinariis dirigi solent, Jubilæa quoque, Indulgentias, Sacrarumque Congregationum Ordinationes. Porrò unicuique memoratorum Episcoporum Vicariorum Apostolicorum sex Notarios Apostolicos creandi, & instituendi facultatem dicta auctoritate harum serie tribuimus, & impertimur. Cœterum has omnes facultates dictis Vicariis Apostolicis ita elargimur, & concedimus, ut extra eorum limites excurrere ipsis nullo modo liceat, quod quidem omninò vetamus, & prohibemus: salva semper in præmissis auctoritate prædictæ Congregationis Cardinalium, negotiis propagandæ fidei præpositorum. Man-

dantes propterea in virtute sanctæ Obedientiæ, ac sub indignationis nostræ, aliisque nostro, seu dictæ Cardinalium Congregationis arbitrio, imponendis pœnis, omnibus & singulis Regularibus prædictis, aliisque quibuslibet, ad quos spectat, & pro tempore quovis modo spectabit, ut omnia, & singula præmissa exactè, inviolabiliter, & inconcusse observent, & adimpleant. Ac decernentes easdem præsentes litteras firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac memoratis Vicariis Apostolicis in omnibus, & per omnia plenissimè suffragari; sicque in præmissis per quoscunque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si quid secus super his à quoquam, quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Apostolicis, ac in Universalibus, Provincialibusque, & Synodalibus Conciliis, editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, necnon, quatenus opus sit quorumvis Ordinum, Congregationum, Societatum, etiam Jesu, & Institutorum, ac Ec-

clesiarum , Monasteriorum , Provinciarum , Conventuum , Domorum , Collegiorum , & Locorum Regularium quorumcumque etiam Juramento , confirmatione Apostolica , vel quavis firmitate alia roboratis, Statutis, & Consuetudinibus , Privilegiis quoque Indultis , & Litteris Apostolicis quibusvis Ordinibus, Congregationibus , Societatibus etiam Jesu, & Institutis , ac Ecclesiis, Monasteriis, Provinciis, Conventibus, Domibus , Collegiis , & Locis Regularibus, illorumque Superioribus, & personis quibuscunque, sub quibusvis verborum tenoribus , & formis, ac cum quibuscumque etiam derogatoriarum , derogatoriis , aliisque efficacioribus , efficacissimis , & insolitis clausulis , irritantibusque , & aliis Decretis in genere , vel in specie, etiam motu proprio , & de Apostolicæ potestatis plenitudine, ac Consistorialiter , & aliàs quomodolibet in contrarium præmissorum concessis , confirmatis , & pluries innovatis. Quibus omnibus , & singulis , etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis , specifica , expressa, & individua , ac de verbo ad verbum , non autem per clausulas genera-

les idem importantes mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, tenores hujuſmodi ac ſi de verbo ad verbum, nihil penitùs omiſſo, & forma in illis tradita obſervata, exprimerentur, & infererentur, præſentibus pro plenè, & ſufficieuter expreſſis, & inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum hac vice duntaxat, ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cœteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem ut earundem præſentium litterarum tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides in Judicio, & extra ubique adhibeatur, quæ adhiberetur ipſis præſentibus, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. DATUM Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die 13. Septembris 1669. Pontificatus noſtri anno tertio.

J. G. SLUSIUS.

Loco † Sigilli Annuli Piſcatoris.

# CLEMENS PAPA IX.

*Ad futuram rei memoriam.*

IN excelsa sedis Apostolicæ specula meritis licet imparibus per ineffabilem divinæ Sapientiæ atque Bonitatis abundantiam constituti, vigilantiæ Nostræ oculos per universas Christiani Orbis partes jugiter circumferimus, & sollicitis studiis providere satagimus, ut Divinus cultus ubique floreat, populorum devotio excitetur, & foveatur, ac omnium Christi fidelium præsertim in remotissimis partibus degentium quieti; & animarum saluti opportunè consulatur. Hoc consilio ea, quæ pro salubri illorum directione à Romanis Pontificibus Prædecessoribus Nostris, eorumque jussu piè, prudenterque decreta atque constituta fuisse comperimus, ut firmiùs subsistant, & serventur exactiùs, Apostolici muniminis Nostri patrocinio corroboramus, ac opportunè extendimus, sicut ad omnipotentis Dei gloriam, Ecclesiæ honorem, spiritualemque eorundem Christi fidelium ædificationem, & consolationem salubriter expedire in Domino arbitra-

mur. Dudum ſiquidem emanarunt à fel. rec. Alexandro PP. VII. Prædeceſſore Noſtro litteræ in ſimili forma Brevis, tenoris qui ſequitur, videlicet: Alexander PP. VII. ad futuram rei memoriam. Sacroſancti Apoſtolatus officii, quo Divina diſponente Clementia Catholicæ Eccleſiæ regimini, meritis licet imparibus, præſidemus, ſollicitudo Nos monet, ut noxia quæcunque à Dominico Grege, quantum Nobis ex alto conceditur, removere ſtudeamus. Cùm itaque ad aures Noſtras devenerint querimoniæ Chriſti fidelium Goæ, atque in adjacentibus Inſulis degentium de nonnullis abuſibus Eccleſiaſticorum, eorum præcipuè penes quos ipſorum Chriſti fidelium ſpirituale regimen, ac cura reſidet: Nos prædictis abuſibus, quatenùs irrepſerint, quantociùs occurri, aut ſaltem præcaveri, ne illi in poſterum contingant, volentes, de nonnullorum Venerabilium Fratrum Noſtrorum S. R. E. Cardinalium ex Congregatione negotio propagandæ fidei præpoſita, quibus querimonias hujuſmodi diſcutiendas remiſimus, conſilio, Apoſtolica auctoritate tenore præſentium ſtatuimus, præcipimus, & mandamus, ſedulò, inviolabiliter, & exactè ſervari

ab omnibus & ſingulis, ad quos ſpectat, & impoſterum ſpectabit, Decreta infraſcripta, videlicet: Primò, Caveant Parochi, aut Eccleſiaſtici quicunque, ſivè Sæculares, ſive Regulares, ne in poſterum ullo pacto cogant pauperes ad operas ſeu laborem impendendum pro ſuis Eccleſiis, non perſoluta juſta mercede, niſi id ſpontè & ex pietate præſtare voluerint, multoque minus audeant eos mulctare, qui renuerint. Secundò, Cum iis qui Sacro, aut Catecheſi doctrinæ Chriſtianæ non interfuerint (ſi mos ſit eos, ut ſupponitur, aliqua pœna mulctare) ea moderatione ſe gerant, ut nonniſi verè contumacibus & contemnentibus, eaque modica, nec crebro erogetur. Tertiò, Inſtruant populum omni qua decet lenitate, abſtinentes omninò à ferula, & à verbis indecentibus, maximè ſi cum mulieribus, Viris nobilibus, ſeu ætate provectis agatur. Quartò, Ad Seminarium (niſi ejus Inſtitutio ſeu fundatio obſtet) locus etiam iis, qai ex nobili ſunt genere & congrua (ni pauperes ſint) perſolverint alimenta, concedatur, ne à rectæ educationis beneficio prorsùs excludantur, habita tamen prudenti diſtinctione à reliquis, ut quieti conſulatur.

Quintò, Ad ſcientias addiſcendas, & Scholas quilibet admittatur, nullo habito nobilitatis, ſeu generis diſcrimine niſi ex propria aliqua culpa quis indignus cenſeatur. Sextô, Neophytos Deo ſub Religionis jugo ſervire volentes, ſine rationabili cauſa Regulares non reſpuant, ſed pari charitate omnes qui Spiritu Dei aguntur, & ad perfectionem anhelant. amplectantur. Septimò, Preſbyteri Sæculares doctrina & moribus idonei, à beneficiis curatis, & à quolibet alio Eccleſiaſtico munere, ſivè prædicationis, ſivè adminiſtrandi Sacramenta Pœnitentiæ minimè arceantur, attenta præſertim indigentia tot animarum millium, quibus longè impares ſunt pauci Regulares, illuc ex Europa adventantes. Octavò, Caveant itidem Parochi Sæculares & Regulares ullo modo ſeſe ingerere in rebus ſpectantibus ad politiam Sæcularem, nec ullum ad officia publica proponant, quamvis aptior cæteris videatur, nec unquum interſint Comitiis, aut Conventibus ubi de rebus publicis agitur. Nonò, Ut majori cum gaudio Verbum Dei ſuſcipiatur, altiùſque radices agat, & fructum afferat, concionentur omninò Regulares pluries in anno idiomate vernaculo, &

patrio populorum, utque id ipſum facilius, & frequentiùs præſtetur, curet omninò Vicarius Capitularis, aut Superior qui fuerit, ut etiam Clerus ſæcularis ejus Regionis in Verbi Dei prædicatione exerceatur. Decimò, Deputet Vicarius plures ex Sacerdotibus ſæcularibus indigenis, quos idoneos repererit ad Confeſſiones excipiendas, quò faciliùs & libentiùs fideles Sacramentum Pœnitentiæ valeant frequentare, nec cogantur ſolis Regularibus, aut exteris ſeſe ſubjicere. Undecimò, Ut autem radicitùs evellatur abuſus, qui in prædictis Regionibus, ut præfatur, irrepſit, excipiendi Confeſſiones per Interpretem, aut lecto pœnitenti Catalogo peccatorum, ut nutibus innuat, ſi quæ fuerint ab eo commiſſa, diſtrictè præcipitur Vicariis Capitularibus (graviter etiam onerando conſcientiam ipſorum Regularium, & quorumcunque ad quos pertinet) ut in poſterum id nullo modo permittant, ſed ab iis tantùm audiantur Confeſſiones, qui illius idiomatis ſenſum ſufficienter percipiunt, & ad ipſorum numerum pro rei exigentia augendum promoveantur omninò Sacerdotes ſæculares ejus Regionis ad Confeſſiones fidelium patrio idiomate

excipiendas. Duodecimò, Cumque audiatur maximum Catholicorum numerum contra præceptum Domini, qui voluit debiles & claudos admitti, ſub prætextu ignobilitatis & rudioris ingenii rejici à Sacra Synaxi, id eadem Sacra Congregatio omnino vetat ac prohibet, niſi prorſus ejus myſterii ſint incapaces. Decimotertiò, Ægrotis morti proximis cujuſcunque ſint conditionis, quamvis in ſordido, ac vili degant loco aut tugurio, ſacrum Euchariſtiæ Viaticum deferatur, cùm apud Deum nulla ſit acceptio perſonarum, ac pro noſtra ſalute nec ſtabulum, nec Crucis ignominiam abhorruerit. Decimoquartò, Ne ob inſtructionis defectum, qui ſacro Baptiſmate initiantur immaculatam Chriſti legem prophanis ac gentilitiis inſtitutis ex ignorantia fœdent, ac idololatriam cum orthodoxa fide confundant, ut ſæpè inibi evenire enuntiatum eſt; caveant ii qui iiſdem inſtruendis incumbunt, ne in poſterum ullus ad Baptiſma admittatur, qui veterem hominem, ac gentilitios mores prorſus exutus, Chriſtum plenè non induerit, & in fide ſit ſufficienter inſtructus. Decimoquintò, Quoniam verò (ut Veritas ipſa docet) nemo poteſt venire ad

Christum, nisi Pater cœlestis eum traxerit, monentur Ecclesiastici tum Sæculares, tum Regulares, cœterique qui Ethnicorum conversionibus dant operam, ut illos non vexationibus, pollicitationibus, aut vi, sed Verbi Dei prædicatione, & bonorum operum exemplo ad Baptismum inducant, perscrutantes præcipuè diligenter, quo fine, & spiritu ducantur, qui baptizari postulant. Decimosextò, Nihil prorsus, ne quidem sub prætextu pietatis Parochi tàm Sæculares quàm Regulares à suis Parochianis quæstuent, & si quid pro Festorum celebratione spontè ab iis tribuatur, integrè in eam causam insumant, & quidquid superest, pauperibus ejusdem Parochiæ dispensetur, ita ut quamvis minima aviditatis suspicio à Viris Ecclesiasticis absit. Decimoseptimò, Pro temporali regimine Confraternitatum existentium in Ecclesiis Regularium deputentur in posterum Officiales sæculares, qui redituum administrationi incumbant, nullatenus Regularibus ea in re sese ingerentibus. Decimooctavò, Cum Goæ, & in adjacentibus Insulis vetitum sit Ethnicis ritus gentilitios publicè exercere, districtè prohibetur Ecclesiasticis, ne eisdem permit-

tant, & maximè (quod nefas eſt) turpis lucri gratia cadavera Ethnicorum inde aſportari, ut juxta prophanum eorundem ritum comburantur. Decimononò, Cadavera pauperum fidelium gratis omnino poſthac à Parochis ſepulturæ tradantur, nec ad extorquendam aut emendicandam à vicinis, vel affinibus eleemoſynam publicè exponantur. Vigeſimò, Diſtrictè prohibetur, ne Ethnicis nllo pacto permittatur in Eccleſiis ſacrificare, ſeriò Vicariis Capitularibus, injungendo, ut in contravenientes, & maximè ob lucrum, graviter animadvertant, curentque in poſterum ne Eccleſiis præficiantur Neophyti parum inſtructi. Vigeſimoprimò, Similiter Regularium Superiores ſedulo curent, ut Parochi extra Conventus in prædictis Regionibus commorantes Regularis obſervantiæ ſpecimen cunctis ubique præbeant, eoſque idcirco ad Clauſtra,& Regularem diſciplinam aliquando revocent, ne Regulari Inſtituto paulatim exoleſcente, dum aliis incumbunt, ſeipſos amittant, ac demum in deſtructionem potiùs quàm ædificationem Populorum miſſi videantur. Decernentes ita in præmiſſis per quoſcumque Judices ordinarios & delegatos, etiam

caufarum Palatii Apoftolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane fi fecus fuper his à quoquam, quavis auctoritate fcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Nonobftantibus Apoftolicis, ac in Univerfalibus, Provincialibufque, & Synodalibus Conciliis, editis generalibus, vel fpecialibus Conftitutionibus, & Ordinationibus, ac quatenus opus fit, Ecclefiarum, Monafteriorum, Collegiorum, Conventuum, Ordinum, Congregationum, Societatum, & Inftitutorum quorumcumque, & aliis quibufvis etiam juramento, confirmatione Apoftolica, vel quavis firmitate alia roboratis, Statutis, & Confuetudinibus, Privilegiis quoque Indultis, & Litteris Apoftolicis in contrarium præmifforum quomodolibet conceffis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & fingulis illorum tenores præfentibus pro plenè & fufficienter expreffis habentes, illis aliàs in fuo robore permanfuris, ad præmifforum effectum hac vice duntaxat fpecialiter, & exprefsè derogamus, cœterifque contrariis quibufcumque. Volumus autem ut earumdem præfentium tranfumptis manu alicujus Notarii publici fubfcriptis, & figillo perfonæ in di-


-II-

gnitate Ecclesiastica constitutæ munitis; eadem prorsus fides in Judicio, & extra illud ubique adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. DATUM Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 18. Janvarii 1658. Pontificatus Nostri anno tertio. *G. Gualterius.* Et subinde Congregatio tunc existentium S. R. E. Cardinalium negotiis propagandæ fidei proposita alia nonnulla decreta, die 22. Junii 1658. edidit tenoris sequentis: videlicet: Ad melius & facilius occurrendum necessitatibus spiritualibus Christi fidelium in Indiis Orientalibus degentium, Sacra Congregatio de propaganda fide decrevit. Primò, Ut Parochi non naturales illarum partium, sive Regulares, sive Sæculares sint, teneantur omnino habere apud se Capellanum natalibus & origine Indum pro Confessionibus audiendis, & diebus festis hortationibus ad Populum lingua vernacula habendis, ne tali auxilio destituti in ea, qua initiati sunt, orthodoxa fide langueant, ac paulatim deficiant, iisque pro sustentatione & labore ubi Populus ipse id sponte non præstiterit congruum suppeditent stipendium. Secundò, Præcepit

iisdem Parochis, cæterisque quarumcumque Ecclesiarum Superioribus, ut nedum Sacerdotes indigenas in eorum Ecclesiis celebrare volentes non arceant; verùm etiam perurbaniter accipiant, quo frequentius illuc redeant ad Omnipotenti Deo immolandum, sentiantque Christianam charitatem, omnes æquis officiis amplexari. Tertiò, Ut verò fides adhuc in iis Regionibus pubescens litterarum alimento coalescat, & pueri reddantur idonei ad res Ecclesiasticas percipiendas, iisdem Parochis, & maximè Pagorum & Villarum injungit, ut eos, vel per se, vel per Capellanos naturales, si tales ipsi non sunt, ultrà fidei Christianæ rudimenta Grammatices etiam Institutionem, cæterasque Artes liberales quoad fieri potest, edoceant. Quartò, Decrevit, quoniam, ut auditum est, in Processionibus solemnibus etiam Sanctissimi Corporis Christi ex Gentilium moribus ritus aliqui, sive actus irrepserunt, qui licet honoris & majori cultus gratia exhibeantur, Majestatem nihilominus Christianæ Religionis non minimum dedecent, Sacra Congregatio vetuit, ne in posterum permittantur, & arceatur omnino quidquid ludicri, aut minus gravis speciem ali-

quam habuerit, nullo modo autem liceat Ecclesiasticis, & præcipuè Regularibus, prætextu dignitatis, gradus, aut officii umbellam in iis gestare, sed quo majori præfulgeant dignitate, eo demissius Divinæ Majestati obsequium præstare, aliosque Christianos humilitatis exemplo præire nitantur. DATUM Romæ die 22. Julii 1658. Nunc autem Nos spiritualibus Christi fidelium non solum Goæ, & in Insulis adjacentibus, sed etiam in universis Indiarum Orientalium Regnis, Provinciis, & Regionibus degentium necessitatibus, prosperisque in via Domini progressibus pastorali sollicitudine, atque charitate salubriter consulere cupientes (de Venerabilium Fratrum Nostrorum ejusdem S. R. E. Cardinalium negotiis propagandæ fidei præpositorum consilio) Litteras Alexandri Prædecessoris, & subinde emanata Decreta præinserta, omniaque, & singula in eis respectivè contenta, & expressa, auctoritate Apostolica tenore præsentium perpetuò approbamus, confirmamus, & innovamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac illa omnia & singula ad omnia Indiarum Orientalium Regna, Provincias, & Regiones exten-

dimus & ampliamus, ibique locum habere decernimus, ac per quascumque personas etiam Regulares cujusvis Ordinis, Congregationis, & Instituti tàm Mendicantium, quàm non Mendicantium, etiam Societatis Jesu, Goæ, & in Insulis adjacentibus, ac in universis Indiarum Orientalium Regnis, Provinciis, & Regionibus hujusmodi, nunc, & pro tempore degentes, cujuscumque status, gradus, conditionis, qualitatis, & præeminentiæ existant, ad unguem inviolabiliter, & exactè observari eadem auctoritate harum serie itidem perpetuò præcipimus, volumus, & mandamus. Decernentes pariter ita in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si quid secus super his à quoquam, quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus omnibus & singulis illis, quæ memoratus Alexander Prædecessor in suis litteris præinsertis voluit non obstare, cœterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem ut earumdem præsentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii

publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides in judicio, & extra illud ubique adhibeatur, quæ ipſis præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. DATUM Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris, die 13. Septembris 1669. Pontificatus noſtri anno tertio.

J. G. SLUSIUS.

Loco † Sigilli Annuli Piſcatoris.

CLEMENS

# CLEMENS PAPA IX.

*Ad futuram rei memoriam.*

SOllicitudo Paſtoralis officii, quo Eccleſiæ Catholicæ per univerſum Orbem diffuſæ regimini per ineffabilem divinæ Sapientiæ atque Clementiæ abundantiam præſidemus, Nos ſtimulat, ut ea, quæ Chriſtianæ Religionis, Catholicæque fidei propagationi remoram vel impedimentum injicere, ac in Virorum in ſortem Domini vocatorum, & præſertim Religioſorum, qui ſemetipſos abnegarunt, & mundana omnia contempſerunt, ut Chriſtum lucrifacerent, ejuſque obſequiis mundo corde, & mente tranquilla unicè intenderent, honeſtatis gloriæ maculam ponere poſſent, ſalubri ſanctione è medio tollere, atque radicitùs evellere ſtudeamus. Dudum ſiquidem fel. rec. Urbanus Papa VIII. Prædeceſſor noſter, conſiderans per ſacros Canones, Conciliorum decreta, & Conſtitutiones Apoſtolicas omnibus Religioſis, ac etiam aliis perſonis Eccleſiaſticis, præſertim in ſacris Ordinibus conſtitutis, mercaturam, & negotiationes ſæculares diſtrictè prohiberi, ac

valdè damnoſum, indecorum & indecens exiſtere hujuſmodi perſonas divino cultui mancipatas, ac præcipuè illas, quæ ad prædicandum Sacroſanctum Chriſti Domini Evangelium deſtinatæ ſunt, mercaturæ, & negotiationibus hujuſmodi ſe immiſcere, aut operam dare, per quandam ſuam in ſimili forma Brevis die 22. Februarii 1633. emanatam Conſtitutionem, inter alia, Religioſis omnibus cujuſcunque Ordinis & Inſtituti tam non Mendicantium, quàm Mendicantium, etiam Societatis JESU, eorumque ſingulis tam tunc in Inſulis, Provinciis, Regionibus, & Regnis Indiæ Orientalis, ac Chinæ, & Japonum exiſtentibus, quàm in futurum ad illa mittendis, omnem & quamcumque mercaturam, ſeu negotiationem quocumque modo ab eis fieri contingeret, ſive per ſe, ſive per alios, ſive proprio, ſive Communitatis nomine, directè, ſive indirectè, aut quovis alio prætextu, cauſa, vel colore, interdixit, & prohibuit ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna ipſo facto incurrenda, ac privationis vocis activæ & paſſivæ, officiorum, ac graduum, & dignitatum quarumcumque, & inhabilitatis ad ea, ac inſuper amiſſionis mercium, & lucrorum ex eis factorum,

quæ omnia à Superioribus Religionum, ex quibus delinquentes exiſterent, reſervanda eſſent ad uſum Miſſionum, quas eædem Religiones habebant, & in futurum habituræ erant, in Indiis prædictis, & non in alios uſus: Ac eiſdem Superioribus diſtrictè præcepit ſub eiſdem pœnis, ut in hoc invigilarent, & contra delinquentes ad prædictas pœnas procederent, ſublata eiſdem facultate hujuſmodi delinquentibus aliquid ex dictis mercibus, & lucris quantumvis minimum, remittendi, aut condonandi, & aliàs prout in dicta Urbani Prædeceſſoris Conſtitutione, cujus tenorem præſentibus pro plenè & ſufficienter expreſſo, ac de verbo ad verbum inſerto haberi volumus, uberiùs continetur. Cùm autem (ſicut non ſine graviſſimo animi noſtri dolore accepimus) multi ex iiſdem Religioſis, & perſonis Eccleſiaſticis, propriæ profeſſionis, injunctique ſibi graviſſimi miniſterii immemores, ab ejuſmodi mercatura, & negotiationibus ſæcularibus non abſtineant, ſed ſeſe à debita prædictæ Conſtitutionis Urbani Prædeceſſoris obſervatione ſub variis prætextibus, coloribus, & ſubterfugiis eximere conati fuerint, & ſatagant de præſenti, in deplorandam animarum

ſuarum perditionem ; perniciosſum quoque exemplum , & ſcandalum plurimorum : Nos ſalutaribus Doctoris Gentium præceptis edocti , quòd nemo militans Deo implicat ſe negotiis ſæcularibus, ut ei placeat, cui ſe probavit, tam grande, tamque extioſum ab Eccleſia Dei malum Apoſtolici zeli vigore propellere , ſcandalorumque inde naſcentium occaſiones recidere, ac ſaluti animarum, & Chriſtianæ Religionis , Catholicæque fidei propagationi , quantum Nobis ex alto conceditur, ſalubriter conſulere, omnemque lucrorum mundanorum ſpem perſonis cœleſti militiæ adſcriptis, præſertim ad Infidelium converſionem, & Evangelii prædicationem deſtinatis, & in futurum deſtinandis, quas ſicut bonos Chriſti milites laborare, & miniſterium ſuum honorificare oportet, ut eò ſtudioſiùs, ac impenſiùs adſpirante ſuperni favoris auxilio horrea Domini novis ſemper frugibus locupletare ſatagant , omninò adimere decrevimus. Itaque ſacris Canonibus, ac Decretis , & Conſtitutionibus prædictis inhærentes, illaque, & præſertim memoratam Urbani Prædeceſſoris Conſtitutionem in iis , quæ præſentibus litteris non adverſantur, approbantes, & innovantes,

& circa præmiſſa de novo diſponentes, & ſtatuentes: Motu proprio, ac ex certa ſcientia, & matura deliberatione Noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, omnibus & ſingulis perſonis Eccleſiaſticis tam ſæcularibus, quàm Regularibus, cujuſcumque ſtatus, gradus, conditionis, & qualitatis, ac cujuſvis Ordinis, Congregationis, & Inſtituti, tam Mendicantium quàm non Mendicantium, etiam Societatis Jesu, & earum cuilibet, quæ ad Inſulas, Provincias, & Regna Indiarum Orientalium, & præſertim in Provinciam Societatis Jesu de Japone nuncupatam, ac in partes Americæ tam Auſtrales, quàm Septentrionales à Sede Apoſtolica, vel Congregatione venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium negotiis propagandæ fidei præpoſitorum, aut ab earum Superioribus ſub nomine Miſſionariorum, aut quovis alio titulo pro tempore miſſæ fuerint, aut in illis partibus quomodolibet morabuntur, ſub excommunicationis latæ ſententiæ, ac privationis vocis activæ, & paſſivæ, & officiorum, dignitatum, & graduum quorumcumque per eas obtentorum, & inhabilitatis ad illa, & alia quæcumque in poſterum obtinenda, nec-non amiſſionis

mercium & lucrorum omnium ipso facto incurrendis, ac aliis Nostro, & Romani Pontificis pro tempore existentis, vel prædictæ Cardinalium Congregationis arbitrio imponendis pœnis, tenore præsentium districtè prohibemus pariter & interdicimus, nè mercaturis, & negotiationibus sæcularibus hujusmodi quovis prætextu, titulo, colore, ingenio, causa, occasione, & forma, etiam semel, per se, aut mediantibus ministris, seu aliis personis subsidiariis, directè, vel indirectè, tam nomine proprio, quàm suarum respectivè Religionum, seu Congregationum, aut Societatum, etiam Jesu, vel aliorum quorumlibet, & aliàs quovis modo, & qualitercumque se ingerant, vel immisceant. Ac ex nunc prout ex tunc, & è contra postquam casus evenerit, merces, & lucra quæcumque, quæ ex hujusmodi mercaturis, & negotiationibus provenerint, & provenient, in usus & commodum pauperum, Hospitalium, Seminariorum Ecclesiasticorum, ac Operariorum, (non tamen Religionum, Congregationum, & Societatum, etiam Jesu, seu Instituti eorum, qui in præmissis, vel circa ea deliquerint) sed aliorum non delinquentium, harum serie applicamus, qui

teneantur consignare merces, & lucra hujusmodi locorum Ordinariis, seu eorum Vicariis in spiritualibus generalibus, aut Officialibus, vel Apostolicis Vicariis, seu Provicariis: Hi verò tanquam dictæ Sedis Delegati illa ut præfatur, & non in alios usus distribuere, & erogare debeant; super quibus eorum conscientiam districtè oneramus. Et quia in præmissis, & circa ea delinquentes, ut plurimùm, prætextu necessitatis pro eorum Missionibus se excusare præsumunt; excusationes hujusmodi eis, eorumve cuilibet nullo modo suffragari posse, vel debere decernimus & declaramus. Insuper eisdemmet censuris & pœnis innodamus, & innodatos fore declaramus Superiores immediatos, ac Provinciales, & Generales prædictorum Ordinum, Congregationum, & Societatum, etiam Jesu, qui eorum respectivè subditos in præmissis, vel circa ea, etiam pro unica vice quomodolibet delinquentes, saltem per amotionem illorum à locis commissi per eos delicti non puniverint. A sententia verò excommunicationis hujusmodi per Superiores, vel alium, seu alios quoscumque, etiam quavis facultate suffultos, nemo ex prædictis delinquentibus absolvi possit, præterquam

in mortis articulo constitutus, nisi lucris hujusmodi priùs restitutis. Decernentes easdem præsentes litteras, & in eis contenta quæcumque, etiam ex eo quod in præmissis interesse habentes, seu habere quomodolibet pretendentes, & alii quilibet cujuscumque status, gradus, ordinis, preeminentiæ, & dignitatis, seu aliàs specifica & individua mentione digni, illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati, & auditi, neque causæ propter quas ipsæ presentes emanarint, sufficienter adductæ, verificatæ, & justificatæ fuerint, aut ex alia quacumque quantumvis justa, pia, & privilegiata causa, colore, pretextu, & capite, etiam in Corpore Juris clauso, etiam enormis, enormissimæ, & totalis læsionis, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, aut interesse habentium consensus, aliove quolibet etiam quantumvis magno, & substantiali, ac incogitato, & inexcogitabili defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in controversiam vocari, aut ad terminos Juris reduci, seu adversus illas apertionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque Juris, facti, vel gratiæ remedium

intentari , vel impetrari , ſeu impetrato, aut etiam motu , ſcientia , & poteſtatis plenitudine paribus conceſſo, vel emanato quempiam in Judicio, vel extra illud uti , ſeu ſe juvare ullo modo poſſe , ſed ipſas præſentes litteras ſemper firmas, validas , & efficaces exiſtere , & fore, ſuoſque plenarios & integros effectus ſortiri & obtinere, ac ab omnibus & ſingulis ad quos ſpectat, & pro tempore quandocumque ſpectabit, in omnibus , & per omnia inviolabiliter & inconcuſsè obſervari : Sicque & non aliter in præmiſſis per quoſcumque Judices ordinarios & delegatos , etiam cauſarum Curiæ Cameræ Apoſtolicæ generalem , & Palatii Apoſtolici Auditores, ac ejuſdem Cameræ præſidentes Clericos, Theſaurarium generalem, Commiſſarium, alioſque Officiales, & Miniſtros , necnon S. R. E. prædictæ Camerarium, ſeu Procamerarium, & alios Cardinales, etiam de Latere Legatos, & dictæ Sedis Nuncios, cæteroſque quoſlibet quacumque præeminentia, & poteſtate fungentes , & functuros , in quavis cauſa & inſtantia , ſublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate, & auctoritate ubique judicari & definiri debere, ac irritum &

inane si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingerit attentari. Non obstant. quoad ea quæ præsentibus adversantur, prædicta Urbani Prædecessoris, ac rec. mem. Bonifacii Papæ VIII. Prædecessoris pariter Nostri de una, & Concilii generalis de duabus dietis, ita ut vigore præsentium etiam ultra duas, pluresve dietas quilibet in Judicium trahi possit, & piæ mem. Pij IV. & Pauli V. aliorumque Romanorum Pontificum etiam Prædecessorum Nostrorum super spoliis Cameræ prædictæ applicandis, ac ejusdem Pij IV. Prædecessoris de gratiis qualecumque interesse dictæ Cameræ concernentibus in ipsa Camera intra certum tunc expressum tempus præsentandis & registrandis, itaut præsentes litteras ibidem præsentari, registrari, & insinuari nunquam necesse sit, necnon quatenus opus sit, de Jure quæsito non tollendo, aliisque Nostris, & Cancellariæ Apostolicæ regulis, cæterisque Apostolicis, ac in universalibus, Provincialibusque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, ac dictæ Cameræ, & Provinciarum, Regnorum, Regionum, Ordinum, Congrega-

tionum, Inſtitutornm, Societatum, etiam Jeſu, Domorum, & Collegiorum quorumcumque, aliiſve quibuſvis etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & conſuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis, facultatibus, licentiis, & litteris Apoſtolicis quibuſvis Ordinibus, Congregationibus, Inſtitutis, & Societatibus, etiam Jesu, eorumque Superioribus, & perſonis etiam particularibus, & aliis quibuſcumque, etiam ſpeciali nota dignis, & de neceſſitate Juris vel facti omninò exprimendis etiam cum facultate eligendi poſteriorem datam, quam nemini adverſus eaſdem præſentes litteras ullo modo ſuffragari unquam poſſe ſtatuimus, & decernimus, ac ſub aliis quibuſcumque verborum tenoribus & formis, & cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, efficaciſſimis, & inſolitis clauſulis, irritantibuſque, & aliis decretis in genere vel in ſpecie, etiam motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine paribus, ac Conſiſtorialiter, & aliàs quomodolibet in contrariam præmiſſorum conceſſis, ac etiam pluries confirmatis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus & ſingulis,

etiamsi per illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut alia aliqua exquisita forma ad hoc servan. foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum; nihil penitùs omisso, & forma in illis tradita observata exprimerentur & insererentur, præsentibus pro plenè & sufficienter expressis & insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus derogamus, & derogatum esse & censeri, illaque nemini adversus præsentes litteras suffragari volumus, cæterisque contrariis quibuscumque. Cœterùm volumus, & expresse mandamus, ut eædem præsentes litteræ, seu earum exempla, etiam impressa, notificentur & intimentur omnibus & singulis Ordinum, Congregationum, Institutorum, & Societatum, etiam Jesu, hujusmodi Superioribus Generalibus, & Procuratoribus generalibus, ad hoc ut eorum, & prædictorum Religiosorum eis respectivè subditorum nominibus illas acceptent, & earum exempla

tranſmittant ad illos cum arctiſſimis præceptis eaſdem præſentes litteras, & in eis contenta quæcumque, plenariè & integrè, ac verè, realiter, & cum effectu exequendi & obſervandi. Ac inſuper quibuſlibet locorum Ordinariis, eorumque Officialibus, ſeu Vicariis in Spiritualibus generalibus, ac Apoſtolicis, & Capitularibus Vicariis amplam & liberam concedimus, & imperimur facultatem præſentes litteras in locis eorum cujuſlibet reſpectivè Juriſdictionis publicandi, ad hoc ut illarum ignorantia allegari nequeat, & allegata minimè ſuffragari debeat. Et quia difficile foret, præſentes litteras originales ubique oſtendi & publicari, volumus pariter & decernimus illarum tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis eandem prorsùs in Judicio & extra ubique locorum fidem haberi, quæ haberetur ipſis præſentibus litteris, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ. DATUM Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die 17. Junij 1669. Pontificatus noſtri Anno ſecundo.

J. G. SLUSIUS.

*Pro Episcopis Vicariis Apostolicis apud Sinas Confirmatio & innovatio Brevium Alexandri VII. & Clementis IX. & Decretorum Congregationis de Propaganda Fide ad eorum favorem emanatorum.*

# CLEMENS PAPA X.

*Ad futuram rei memoriam.*

DECET Romanum Pontificem, quem Ecclesiæ Catholicæ, per universum Orbem diffusæ, regimini, cum potestatis plenitudine præposuit Altissimus, ac æqui bonique supremum Assertorem in terris constituit, ea quæ à Prædecessoribus suis, & hac sancta Sede Apostolica, ad Christianæ Religionis, & Orthodoxæ Fidei, præsertim in remotissimis ab eadem Sede locis, propagationem, animarumque pretiosi unigeniti Dei Filii Domini nostri JESU Christi sanguine redemptarum salutem, felicemque fidelium in via mandatorum Domini directionem, prudenti, salubrique consilio, ac illo, qui secundùm scientiam est, Pontificiæ charitatis zelo emanarunt, ut firma atque illibata persistant, nec temerariis quorun-

dam, qui quærunt quæ ſua ſunt, non quæ Jesu Chriſti, auſibus violentur, Apoſtolici muniminis præſidio corroborare, ac à perverſis quorumcumque calumniantium conatibus tueri, ne meſſis, quam fideles Operarii ab eadem Sancta Sede miſſi plantarunt, & rigarunt, inimico ſuperſeminante zizania, detrimentum accipiat, ſed, benedicente, atque incrementum largiente Domino, ad perfectæ finem perveniat maturitatis, & horrea Dominica uberrimo fructu locupletet. Dudum ſiquidem fel. rec. Alexander PP. VII. Prædeceſſor noſter, de tunc exiſtentium S.R.E. Cardinalium negotiis propagandæ Fidei præpoſitorum conſilio, per ternas, quas in ſimili forma Brevis, litteras, binas quidem die 9. Septembris 1659. reliquas verò die 20. Septembris 1660. reſpectivè expeditas, Venerabiles Fratres Franciſcum Pallu, Epiſcopum Heliopolitanum in Regno Tunchini, cum adminiſtratione infraſcriptarum Provinciarum, videlicet Junam, Queickeu, Huquang, Succüen, Quangſii, & Laos, ac Petrum Epiſcopum Berytenſem, Cocincinæ, cum adminiſtratione harum Provinciarum, nempe Cechiang, Fochien, Quantung, Chiamſii,

Insulæ Hainam ; aliarumque Insularum ; nec-non tunc in humanis agentem bo. mem. Ignatium Cotolendi Episcopum Metellopolitanum Nanchini in Sina, cum administratione Provinciarum infra expressarum, videlicet, Pechin, Xansii, Xantung, Honan, Xensii, Coreæ, & Tartariæ Vicarios Apostolicos respectivè donec, & quousque à præfatorum Cardinalium Congregatione fuisset aliter mandatum, aut dispositum, auctoritate Apostolica fecit, constituit, & deputavit; ac ipsis Francisco, Petro, & Ignatio Episcopis dedit facultatem, ut si contingeret aliquem ex ipsis in itinere, vel postquam illuc pervenissent, morte, vel alio eventu deficere, deficienti proximior posset etiam ad eas Provincias, quæ eidem deficienti Episcopo suberant, administrationem extendere, vel cum alio Episcopo novam divisionem inire, qua ratione illorum Christi fidelium necessitatibus aptiùs consultum videretur, ne prorsus Pastore destituti remaneant, donec per memoratam Cardinalium Congregationem, quæ statim de prædictis certior reddi deberet, aliter fuisset dispositum. Ut autem in partibus prædictis sacerdotum indigenarum ordinatio faci-

liùs peragi, atque ita Fides Catholica, ibidem firmiùs, benedicente Domino radicari valeret, eiſdem Franciſco, ac Petro, & Ignatio Epiſcopis, cum Chriſti fidelibus, earundem partium indigenis, ſibi uti Vicariis Apoſtolicis reſpectivè vigore prædictarum litterarum pro tempore ſubditis, ut ipſi licet idioma Latinum non intelligerent, nihilominus, dummodò illud legere noſſent, eiſque Canon Miſſæ, ac Formulæ Sacramentorum Eccleſiæ declararentur, ad omnes, etiam Sacros, & Preſbyteratus Ordines, ſervatis aliàs ſervandis, promoveri, & promoti in illis, etiam in Altaris miniſterio, miniſtrare liberè & licitè poſſent, & valerent, diſpenſandi: nec-non recitationem Officii Divini, Horarum videlicet Canonicarum, eiſdem Chriſti fidelibus in recitationem illarum Precum, in eorum Lingua, ipſorum Epiſcoporum arbitrio commutandi, facultatem ad ſeptennium duntaxat pariter conceſſit, & impertitus eſt: ſalva ſemper in præmiſſis auctoritate Congregationis præfatorum Cardinalium. Et ſubinde cùm eidem Alexandro Prædeceſſori relatum fuiſſet, quòd prædictus Ignatius Epiſcopus viam univerſæ carnis ingreſſus fuerat, ſi verò utriuſque

el alterius ex dictis Francisco, & Petro
piscopis, obitu quoque eveniente,
piscopi hinc denuò ad partes prædictas
nittendi essent, non solùm maximæ dif-
cultates superandæ, gravissimique labo-
es exantlandi forent, sed etiam grave
ericulum immineret, ne intér longas
mporis moras, quas intercurrere ne-
esse foret, grande illud opus directio-
is Christi fidelium illic degentium, pro-
agandæque Christianæ Religionis ab
sdem Francisco, & Petro Episcopis lau-
abiliter inceptum omninò deperiret;
se Alexander Prædecessor, de præfato-
im Cardinalium consilio, per alias suas
ariter in forma Brevis litteras, die 4.
ebruarii 1664. emanatas, illi ex præ-
ctis Francisco, & Petro Episcopis, qui
teri, quem præmori contingeret, super-
es foret, ut unum ex Presbyteris unà
ım ipsis ad easdem partes profectis,
uem in Domino magis idoneum, &
nto muneri exequendo aptiorem judi-
ivisset, Ecclesiæ in partibus Infidelium
onsistenti, quæ per obitum prædefunctu-
ex ipsis Pastoris fuisset destituta solatio,
Episcopum & Pastorem auctoritate
postolica præficere, eique sic præfecto
unus consecrationis, cum assistentia

aliorum duorum Presbyterorum, etiamsi non essent Episcopi, nec in Ecclesiastica dignitate constituti, si adessent, sin minus, etiam sine illorum assistentia, servatis tamen, quantum locus & tempus permitterent, cæremoniis in consecratione Episcoporum adhiberi solitis, ac recepto priùs ab illo ejusdem Alexandri Prædecessoris, & Romanæ Ecclesiæ nomine, fidelitatis debitæ solito juramento, impendere, liberè & licitè posset & valeret, facultatem dicta auctoritate tribuit & impertitus est. Ac eundem Episcopum sic ordinandum, & tunc prout postquam ordinatus, & consecratus fuisset, ut præfatur, Vicarium Apostolicum in partibus supradictis, loco illius ex prædictis Francisco & Petro Episcopis, qui prior decessisset, cum omnibus & singulis facultatibus ei per litteras primo dictas attributis, donec tamen & quousque à prædicta Cardinalium Congregatione aliter mandatum, aut dispositum fuisset, eadem auctoritate deputavit, substituit, & subrogavit, salva tamem pariter in præmissis auctoritate dictæ Congregationis Cardinalium, quam de iisdem præmissis ab alterutro eorundem Francisci, & Petri Episcoporum superstite, quanto-

tiùs fieri posset, voluit fieri certiorem.
Cæterum prædicto Episcopo, ut ipse ad
Ecclesiam, cui vigore harum litterarum
præfectus fuisset, quamdiu illa ab Infide-
bus detineretur, accedere, & apud illam
personaliter residere minimè teneretur,
dicta auctoritate indulsit. Ac postmodum
cùm prædicti Franciscus, & Petrus Epis-
copi per Presbyterum, quem illinc mise-
rant, dicto Alexandro Prædecessori ex-
poni fecissent, quòd ipsi è re Dominici
gregis magnopere futurum existimabant,
ut supradicto Ignatio Episcopo defuncto
successor in Vicariatu Apostolico, ei, si-
cut præfatur, demandato constitueretur;
idem Alexander Prædecessor, de consilio
Congregationis tunc existentium ejusdem
S. R. E. Cardinalium, super negotiis spi-
ritualibus Regni Sinarum ab eo deputa-
tæ, per alias suas similiter in forma Bre-
vis, die 28. Februarii 1655. expeditas lit-
teras memoratis Francisco & Petro Epis-
copis ut unum ex prædictis Presbyteris,
cum ipsis unà ad partes supradictas pro-
fectis, quem obeundo Vicariatus Aposto-
lici hujusmodi muneri magis idoneum in
conscientia judicavissent, Ecclesiæ Me-
tropolitanæ per obitum dicti Ignatii
Episcopi solatio Pastoris tunc destitutæ

in Episcopum & Pastorum auctoritate Apostolica præficere, illique sic præfecto munus consecrationis, cum assistentia unius vel duorum aliorum Presbyterorum, etiamsi non essent Episcopi, nec in Ecclesiastica dignitate constituti, si adessent, sin minus, etiam absque ejusmodi assistentia, servatis tamen pariter, quantum locus & tempus permitterent, cæremoniis in consecratione Episcoporum adhiberi solitis, receptoque priùs ab illo fidelitatis debitæ juramento prædicto, pariter impendere liberè & licitè valerent, facultatem auctoritate prædicta tribuit similiter, & impertitus est; ea tamen lege, ut hac facultate non uterentur, nisi quando eis permissum fuisset ingredi ea loca, in quibus Vicariatum Apostolicum prædicto Ignatio Episcopo, sicut supradictum est, demandaverat. Quôd si dicti Franciscus, & Petrus Episcopi, propter locorum distantiam, vel aliud impedimentum, pro hujusmodi Episcopi in locum prædicti Ignatii defuncti ordinatione, insimul convenire nequirent, totam hanc facultatem remanere voluit penès prædictum Petrum Episcopum Berytensem, qui si tempore adventus ultimo dictarum litterarum ad illas partes de hoc

æculo migraviſſet, eadem facultas penes
memoratum Franciſcum Epiſcopum He-
opolitanum reſideret : ambobus autem
b hac luce ſubſtractis , hanc eandem
acultatem ordinandi Epiſcopum dictæ
cclesiæ Metellopolitanæ , in locum ſu-
radicti Ignatii defuncti , haberet ille
piſcopus , quem alter ſuperſtes ex iiſ-
em Franciſco & Petro Epiſcopis , in
im præfatarum litterarum , die 4. Fe-
ruarii 1664. emanatarum , conſecraviſ-
et : ac Epiſcopum vigore ultimarum
lexandri Prædeceſſoris litterarum hujuſ-
odi, ſicut præmittitur, ordinandum ex
nc prout poſtquam ordinatus fuiſſet ,
icarium Apoſtolicum , in partibus ſupra-
ctis , loco memorati Ignatii Epiſcopi,
m omnibus & ſingulis facultatibus ,
iæ eidem Ignatio Epiſcopo per prædi-
as litteras quomodolibet attributæ fue-
nt , donec tamen, & quouſque à me-
orata Congregatione Cardinalium aliter
andatum , vel diſpoſitum fuiſſet , aucto-
ate prædicta deputavit pariter , ac ſub-
tuit , & ſubrogavit , ſalva ſimiliter in
æmiſſis auctoritate ejuſdem Congrega-
onis Cardinalium , quam de iis omnibus,
æ earundem ultimarum litterarum vi-
re geſta fuiſſent , quanto citiùs etiam

voluit reddi certiorem. Demum novo Episcopo Metellopolitano, sicut præfatur, ordinando, indultum non accedendi ad Ecclesiam Metellopolitanam hujusmodi quamdiu illa ab Infidelibus detineretur, nec apud illam personaliter residendi, pariformiter concessit, & alias prout in prædictis Alexandri Prædecessoris litteris, quarum omnium & singularum tenores præsentibus pro plenè & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis haberi volumus, uberius continetur. Et successivè accepto per rec. mem. Clementem PP. IX. Prædecessorem pariter Nostrum, quòd Civitas Juthia, vulgò Siam, præcipuum esset emporium totius Regni Siami, & ad illam continuus esset concursus diversarum Nationum, tam vicinarum, quàm longinquarum, quibus Rex dicti Regni, ut ad eam libentius confluerent, & ibidem securius commorarentur, liberum Religionis, & Sectarum quarumlibet exercitium concesserat; ac nomine prædictorum Episcoporum Vicariorum Apostolicorum ad Regna Sinarum, Tunchini, & Cocincinæ destinatorum, dicto Clementi Prædecessori exposito, quòd ipsi, ob arduas difficultates ingrediendi fines suo-

um Vicariatuum, Sedem in dicta Civita-
e fecerant, Ecclesiam seu Capellam ere-
erant, & in conversionem Infidelium
m suorum Vicariatuum, quàm aliarum
Nationum incubuerant, Seminarium quo-
ue instituerant, cupiebantque propterea
piscopo Metellopolitano Vicario Apo-
olico ad Sinas consecrato, seu mox con-
ecrando, extentionem administrationis
ui Vicariatus ad dictum Regnum Siami,
c Civitatem Juthiensem, benignè con-
edi; idem Clemens Prædecessor suppli-
ationibus eorum nomine sibi super hoc
umiliter porrectis inclinatus, de memo-
atorum Cardinalium negotiis propagan-
æ fidei præpositorum consilio, prædicto
piscopo Metellopolitano administratio-
em sui Vicariatus ad Regnum Siami, &
ivitatem Juthiensem hujusmodi, aucto-
tate Apostolica extendit, quousque in-
edi in Sinas idem Episcopus Metellopo-
anus posset, cum obligatione tamen
ctum ingressum diligenter procurandi;
eo casu facultatem quoque eidem con-
essit Provicarium ibidem constituendi,
onec aliter per Sedem Apostolicam pro-
sum fuisset. Ut autem prædicti Episco-
Vicarii Apostolici apud Sinas, ac in
unchino, & Cocincina respectivè aucto-

E

ritate Apostolica deputati, injuncta sibi munera ad Christi fidelium illarum partium utilitatem, adjuvante Domino, faciliùs exequi valerent, dictus Clemens Prædecessor, ex commissi sibi cœlitus Sacrosancti Apostolatus officio, providere volens, eisdem Episcopis Vicariis Apostolicis cum Neophytis suorum respectivè Vicariatuum quocumque, seu quibusvis (non tamen primo) Consanguinitatis, vel affinitatis gradibus, vel aliàs conjunctis, seu se attinentibus, ut matrimonium inter se contrahere, seu in eo etiam scienter contracto remanere, valerent, dicta auctoritate, gratis tamen dispensandi, & eos qui in gradibus prohibitis hujusmodi matrimonium, etiam scienter, contraxissent, ab excessibus & excommunicationis, aliisque censuris, & pœnis Ecclesiasticis, ea de causa incursis, in utroque foro gratis pariter absolvendi, ac prolem inde susceptam & suscipiendam legitimam decernendi, facultatem ad viginti annos tantùm duraturam: quam ipsi Episcopi Vicarii Apostolici suis respectivè Provicariis, secundùm datam sibi à Domino prudentiam, communicare possent, eadem auctoritate concessit, & impertitus est, & alias prout in binis ipsius

Clementis Prædecessoris pariter in forma Brevis litteris, die 4. & die 11. Julii 1669. respectivè expeditis, plenius etiam continetur. Ac demum idem Clemens Prædecessor alias, in simili forma Brevis, litteras concessit tenoris qui sequitur, videlicet: Clemens PP. IX. *Ad futuram rei memoriam.* Speculatores domus Israël, quæ est sancta Dei Ecclesia, in terris à Domino constituti, ad illa præcipuè charitatis, atque vigilantiæ nostræ Pastoralis studia convertimus, quæ Christianæ Religionis, Catholicæque fidei propagationem concernunt; ut illis certam atque prudentem, ex solita hujus sanctæ Sedis providentia, & rectitudine, normam tradamus; & sublatis dubiis, atque Controversiis, quæ inter Operarios in Vineam Domini missos, in eaque sedulo laborantes, enasci, illorumque labores, & laborum fructum turbare, vel impedire possent, omnia piè, sanctèque (quantum Dominus donare dignatur) disponere satagamus, quo optati surgant, benedicente Domino, fructus, ac ad maturitatem perducantur, sanctaque Mater Ecclesia uberioribus, atque lætioribus in dies gaudeat incrementis. Cùm itaque sicut Venerabilis Frater Franciscus Episco-

pus Heliopolitanus, Vicarius Apoſtolicus in Regno Tunchini, cum adminiſtratione Provinciarum Sinæ huic Regno adjacentium, videlicet Junam, Queicкeu, Hucquang, Succüen, Quangſii, & Laos; à fel. rec. Alexandro PP. VII. Prædeceſſore Noſtro conſtitutus, & deputatus, tàm ſuo, quàm Venerabilis pariter fratris Petri Epiſcopi Beritenſis Vicarii Apoſtolici Cochinchinæ, cum adminiſtratione infraſcriptarum Provinciarum Sinæ, videlicet Cechiang, Fochien, Quantumg, Chiamſi, Inſulæ Haynan, *&* aliarum Inſularum, atque etiam Epiſcopi Metellopolitani conſecrati, aut mox conſecrandi Vicarii Apoſtolici Nanchin in Sina, cum adminiſtratione Provinciarum Pechin, Xanſii, Xantung, Honan, Xenſii, Coreæ, & Tartariæ ab eodem Alexandro Prædeceſſore pariter conſtitutorum, cum extenſione adminiſtrationis dicti Epiſcopi Metellopolitani ad Civitatem Juthiæ, totumque Siami Regnum à Nobis nuper facta, nominibus; Nobis exponi fecit, quòd in dictis Regnis, & Provinciis reperiantur diverſorum Ordinum Religioſi, tam à ſuis reſpectivè Superioribus generalibus, quàm à Congregatione Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardi-

nalium, negotiis propagandæ fidei præpositorum, destinati, qui missionibus ibidem, sub directione suorum respectivè Præpositorum, aut Præfectorum operam navant; eorumque nonnulli, ut necessarios Operarios multiplicarent, aliquos ex ferventioribus Neophytis, Catechistas effecerint, illosque sibi, suæque directioni quibusdam Votis adstrinxerint: prædicti verò Episcopi Vicarii Apostolici humiliter à Nobis postulaverint, ut auctoritate Nobis à Domino tradita, decernere, atque declarare dignaremur. Primò, an aliqua sit inter Vicarios Apostolicos, & Regulares prædictos subordinatio, & in quibus hi ab illis dependere debeant? Secundò, an Catechistæ per vota Regularibus facta eximantur à Jurisdictione eorundem Vicariorum Apostolicorum? Nos attendentes eo potissimum fine in Sinam, Tunchinum, Cochinchinam, Siamum, & alia vicina Regna missos, ibique constitutos esse Episcopos Vicarios Apostolicos, ut ex Christianis indigenis, seu Incolis illarum partium instituerentur Clerici & Sacerdotes, ac crescente fide, fideliumque numero, disciplinæ Ecclesiasticæ usus paulatim introduceretur; considerantesque ex independentia plurimo-

rum Operariorum in iisdem locis, præcipuè cùm ab hac sancta Sede sint remota, oriri facilè posse dissensiones, rixas, divisiones, & schismata, in Christianæ Religionis detrimentum, atque perniciem eruptura, nisi illis maturè occurratur: de memoratorum Cardinalium consilio, auctoritate Apostolica, tenore præsentium statuimus, & ordinamus, quòd prædicti Episcopi Vicarii Apostolici ab omnibus, & singulis Religiosis cujuslibet Ordinis, Congregationis, & Instituti, etiam Societatis Jesu; in prædicta Regna, & Provincias, sive à Nobis, aut à Congregatione eorumdem Cardinalium specialiter deputati, exigere possint, & debeant, ut suas Patentes, seu alias quascunque eorum missionis, destinationis, constitutionis, & deputationis litteras exhibeant, iisque qui illas exhibere recusaverint, tanquam Sedis Apostolicæ delegati, prohibere, ne facultates sibi per litteras hujusmodi concessas exerceant; ipsique Regulares licentiam, exercendi suas facultates, petere teneantur ab iisdem Episcopis Vicariis Apostolicis, quam ipsi denegare non debeant, nisi in casu gravis causæ, dictæ Congregationis Cardinalium communicandæ. Porrò dicti Regulares in defectu Sacerdotum secularium, non so-

ùm titulo charitatis, ſed etiam juſtitiæ, uram animarum teneantur exercere, & uatenus id facere recuſent, à Vicariis Apoſtolicis ad tale munus obeundum cogi oſſint. Quotieſcumque verò Regulares ub titulo Miſſionariorum curam animarum exercebunt; ſubditi ſint, quoad functiones Parochiales, viſitationi, & correctioni Vicariorum Apoſtolicorum, aut Provicariorum eorumdem, juxta Conſtitutionem recol. mem. Gregorii PP. XV. Prædeceſſoris pariter Noſtri, quæ incipit: *Inſcrutabili Dei providentia, &c.* Anno Incarnationis Dominicæ 1622. Nonis Februarii editam. Nec ſine licentia eorumdem Vicariorum Apoſtolicorum, & multò minus contra eorum voluntatem liceat Regularibus ædificare, & aperire Eccleſias, in locis, ubi ipſi, vel alii Miſſionarii alterius Ordinis, ſeu Presbyteri ſeculares ſimiliter Miſſionarii, Eccleſias habent, ubi verò apertæ non ſunt, poſſint ad formam privilegiorum, & facultatum ipſis conceſſarum. Cùm autem præ multitudine Neophytorum in una Provincia, aut Civitate, vel præ nimia earum amplitudine unus, aut alter, qui eis præſunt, Miſſionarii non ſufficiunt, aliique ſuppetunt Sacerdotes ſeculares, aut Religioſi, licet alterius Or-

dinis, quorum tamen subsidium nec illi quærunt, nec oblatum recipiunt, tunc habito duntaxat respectu ad Christianorum necessitatem, possint, & debeant Vicarii Apostolici prædicti Operarios multiplicare, Parochias dividere, aliaque ejusmodi facere, juxta præscripta à sacris Canonibus, & Concilii Tridentini decretis. Possint quoque iidem Vicarii Apostolici exigere à Regularibus rationem executionis piarum voluntatum, quatenus ad illas exequendas deputentur. Præterea juxta Constitutionem recol. mem. Urbani PP. VIII. Prædecessoris pariter Nostri, quæ incipit: *Ex debito Pastoralis officii, &c.* si fortè aliquæ controversiæ inter Religiosos dictarum partium (quod Deus avertat) oriantur, memorati Vicarii Apostolici, tanquam Sedis Apostolicæ delegati, illas decidere, & terminare possint, & debeant. Si verò graviora quædam negotia occurrerent, ea ad nos, & Romanos Pontifices Successores nostros, quanto citius ab iisdem Vicariis Apostolicis referantur, ut quod in illis statuendum fuerit, matura consultatione adhibita, decernatur. Ad hæc quoad Vota Catechistarum, statuimus pariter, & ordinamus, Votum obedientiæ, quo nonnulli Regulares eos ob-

tringunt, eiſdem non impedire ſui officii exercitium, ſub directione dictorum Vicariorum Apoſtolicorum, eorumque Provicariorum, nec illud impediri poſſe à Regularibus, tanquam eis, vigore dicti Voti, Catechiſtæ omnimodè ſubditi ſint, quinmò Votum hujuſmodi in hac circunſtantia nullum eſſe declaramus. Volentes ab iiſdem Vicariis Apoſtolicis poſſe dictos Catechiſtas compelli, ut ſub eorum directione, & dependentia, ſua munia exerceant. Et quatenus Regulares de facto adſtringerent Catechiſtas ad ſimilia Vota, & alias obligationes, quibus à Vicariis Apoſtolicis independentes remanerent, poſſe eoſdem Vicarios Apoſtolicos, publica ſignificatione, manifeſtare Regularibus, atque his intimare, ut abſtineant ab uſu, ſeu verius abuſu, Catechiſtas Voto Obedientiæ erga ſeipſos, privativè quoad Vicarios à Sede Apoſtolica deputatos, obſtringendi. Inſuper volumus ut ad Vicarios Apoſtolicos intra fines ſuorum Vicariatuum præcipuè ſpectet, maximè in curſu Viſitationis, ea inſpicere, quæ ſpectant ad fidem, bonos mores, & adminiſtrationem Sacramentorum Baptiſmi, Matrimonii, & aliorum. Competat quoque dictis Vicariis Apoſtolicis facultas ſuper

novis Miraculis, & Martyribus processum instituendi, & ad memoratam Cardinalium Congregationem transmittendi; nec-non circa observationem Festorum, Rituumque Ecclesiasticorum, statuendi quæcunque opportuniora videbuntur, secundùm Decreta Romanorum Pontificum, locorumque circunstantias. Ac ad eosdem Vicarios Apostolicos etiam spectet verificare, & publicare quascumque litteras Apostolicas, Constitutiones, & Rescripta Romanorum Pontificum, quæ locorum Ordinariis dirigi solent, Jubilæa quoque, Indulgentias, sacrarumque Congregationum Ordinationes. Porrò unicuique memoratorum Episcoporum Vicariorum Apostolicorum sex Notarios Apostolicos creandi, & instituendi facultatem dicta auctoritate harum serie tribuimus, & impertimur. Cæterum has omnes facultates dictis Vicariis Apostolicis ita elargimur, & concedimus, ut extra eorum limites excurrere ipsis nullo modo liceat, quod quidem omninô vetamus, & prohibemus: salva semper in præmissis auctoritate prædictæ Congregationis Cardinalium, negotiis propagandæ fidei præpositorum. Mandantes propter eà in virtute Sanctæ Obedientiæ, ac sub in-

dignationis noſtræ , aliiſque noſtro , ſeu dictæ Cardinalium Congregationis arbitrio, imponendis pœnis , omnibus, & ſingulis Regularibus prædictis , aliiſque quibuſlibet, ad quos ſpectat , & pro tempore quovis modo ſpectabit, ut omnia , & ſingula præmiſſa exactè , inviolabiliter , & inconcuſsè obſervent , & adimpleant. Ac decernentes eaſdem præſentes litteras firmas , validas , & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios , & integros effectus ſortiri , & obtinere , ac memoratis Vicariis Apoſtolicis in omnibus , & per omnia pleniſſimè ſuffragari , ſicque in præmiſſis per quoſcunque Judices Ordinarios , & Delegatos , etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores , judicari , & definiri debere , ac irritum , & inane, ſi quid ſecus ſuper his à quoquam , quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus Apoſtolicis , ac in Univerſalibus , Provincialibuſque , & Synodalibus Conciliis , editis generalibus, vel ſpecialibus Conſtitutionibus , & Ordinationibus, nec-non , quatenus opus ſit, quorumvis Ordinum , Congregationum , Societatum , etiam Jeſu , & Inſtitutorum , ac Eccleſiarum , Monaſteriorum , Provinciarum , Conventuum , Domorum ,

Collegiorum, & Locorum Regularium quorumcumque, etiam Juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, Statutis, & Consuetudinibus, Privilegiis quoque, Indultis, & Litteris Apostolicis quibusvis Ordinibus, Congregationibus, Societatibus, etiam Jesu, & Institutis, ac Ecclesiis, Monasteriis, Provinciis, Conventibus, Domibus, Collegiis, & Locis Regularibus, illorumque Superioribus, & personis quibuscumque, sub quibusvis verborum tenoribus, & formis, ac cum quibuscumque, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis Decretis in genere, vel in specie, etiam motu proprio, & de Apostolicæ potestatis plenitudine, ac Consistorialiter, & aliàs quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, confirmatis, & pluries innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiam pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quavis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda

foret, tenores hujuſmodi ac ſi de verbo ad verbum, nihil penitùs omiſſo, & forma in illis tradita obſervata, exprimerentur, & insererentur, præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis, & inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem ut earumdem præſentium litterarum tranſumptis, ſeu exemplis etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſùs fides in Judicio, & extra ubique adhibeatur, quæ adhiberetur ipſis præſentibus, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ: Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die 13. Septembris 1659. Pontificatus Noſtri anno tertio. Præterea ad favorem ſupradictorum Epiſcoporum Vicariorum Apoſtolicorum emanarunt à prædicta Congregatione Cardinalium, negotiis propagandæ fidei præpoſitorum, diverſis reſpectivè temporibus varia Decreta, quibus inter alia eiſdem tribus Vicariis Apoſtolicis data fuit facultas cōmunicandi eorum facultates pro Japonia alicui ex propriis Miſſionariis, poſt-

quam tamen idioma illius Regni caluisset, vel etiam aliis Sacerdotibus probis, etiamsi ex sociis eorum non essent; ac collocandi eorum missionem alibi, quàm in locis sibi assignatis, postquam tamen omni spe cecidissent prosequendi propriam, necnon Clericali charactere insigniendi, & ad omnes, etiam Sacros Ordines promovendi Christianos Episcopatuum ab Hæreticis, Mahumetanis, & Gentilibus occupatorum, præsertim S. Thomæ, Malacæ, & Japoniæ, absque dimissoriis Ordinariorum, attenta difficultate ad eos recurrendi, & prædicto Petro Episcopo Berytensi concessa fuit administratio Regnorum Cambaiæ, & Ciampæ, aliaque ipsis Vicariis Apostolicis respectivè concessa, & indulta fuerunt, prout in ipsis Decretis, quorum, ac binarum priorum dicti Clementis Prædecessoris litterarum præfatarum tenores, etiam veriores, & datas, præsentibus pro plenè & sufficienter expressis, ac itidem de verbo ad verbum insertis haberi volumus, pleniùs continetur. Cùm autem sicut non sine gravissimo animi Nostri dolore ad Nostri pervenit Apostolatus auditum, nonnulli variis æquivocationibus, tergiversationibus, & subterfugiis, variisque prætextibus, &

frivolis rationibus mentem, & intentionem hujus sanctæ Sedis Apostolicæ, circa missionem memoratorum Vicariorum Apostolicorum, vimque, & effectum supradictarum litterarum eludere conati fuerint; quinimò eorum aliqui eo væsaniæ, atque temeritatis proruperint, ut easdem litteras Apostolicas falsas, & confictas, aut subreptitias, vel obreptitias esse, dictosque Vicarios Apostolicos se in loca suarum missionum, & alia eis respectivè commissa intrusisse, falsò asserere, ac ejusmodi falsis imposturis Christi fideles illarum partium seducere, ac in falsam hujusmodi credulitatem inducere, detestabili, perniciosoque ausu præsumpserint, non sine gravissima divinæ Majestatis offensa, fidelium scandalo, ac salutis animarum, & Infidelium ad fidei Catholicæ veritatem conversionis, cui eadem sancta Sedes dictos Vicarios Apostolicos destinavit, detrimento: Hinc est quòd Nos ex commissæ Nobis divinitùs Apostolicæ servitutis munere equivocationes, tergiversationes, subterfugia, & prætextus hujusmodi penitùs, & omninò è medio tollere, & temerariorum audaciam compescere, atque reprimere, necnon animarum saluti, & Christi fidelium quieti, fideique

Catholicæ prædictæ propagationi, quantum Nobis ex alto conceditur, proſpicere cupientes, habita ſuper præmiſſis cum particulari Congregatione Venerabilium fratrum noſtrorum S. R.E. Cardinalium, negotiis propagandæ fidei præpoſitorum, deliberatione matura, de illorum conſilio, & unanimi aſſenſu, ac motu proprio, & ex certa ſcientia, & matura deliberatione noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, omnes & ſingulas dictorum Alexandri & Clementis Prædeceſſorum litteras, ſupra expreſſas, ab ipſis Alexandro & Clemente Prædeceſſoribus reſpectivè, verè, & realiter, ac ſumma maturitate, prudentia, & Apoſtolico zelo emanaſſe, nec falſitatis, nullitatis, ſubreptionis, vel obreptionis, aliove quocumque vitio, vel defectu ullo modo laborare, tenore præſentium declaramus, & atteſtamur; ac eaſdem litteras Alexandri & Clementis Prædeceſſorum, omnes & ſingulas, necnon prædicta, & alia quæcumque Decreta dictæ Congregationis Cardinalium, negotiis progagandæ fidei præpoſitorum, ad favorem præfatorum Epiſcoporum Vicariorum Apoſtolicorum, eorumque Miſſionariornm, quomodolibet emanata, cum omnibus & ſingulis in eis

respectivè contentis & expressis, motu, scientia, deliberatione, & potestatis plenitudine paribus, harum serie approbamus, & confirmamus, & innovamus, illisque omnibus, & singulis inviolabilis, & irrefragabilis Apostolicæ firmitatis robur, vim, & efficaciam adjungimus; ac omnes & singulos Juris & Facti, & solemnitatum quarumcumque, tam ex Juris communis, & Constitutionum Apostolicarum, aut quorumcumque privilegiorum, & indultorum Apostolicorum, sive statutorum, ordinationum, usuum, & consuetudinum quarumlibet, etiam immemorabilium, præscripto, aut aliàs quomodolibet in similibus, etiam de necessitate observandarum, & alios quoslibet, etiam quantumnis magnos, ac formales, & substantiales defectus, si qui in præmissis principaliter, vel accessoriè, antecedenter, vel consequenter, aut concomitanter, vel aliàs quovis modo intervenerint, seu intervenisse dici, censeri, intelligi, vel prætendi possent, ad majorem, & abundantiorem cautelam, ac quatenus opus sit, penitùs, & omninò supplemus, & sanamus, ac tollimus & abolemus. Decernentes easdem præsentes litteras, & in eis contenta quæcumque, etiam ex eo quòd

quilibet, etiam cujusvis ſtatus, gradus, ordinis, præeminentiæ, & dignitatis, ſeu aliàs ſpeciali & individua mentione, & expreſſione digni, in præmiſſis intereſſe habentes, ſeu habere quomodolibet prætendentes illis non conſenſerint, nec ad ea vocati, citati, & auditi, neque cauſæ, propter quas ipſæ præſentes emanarint, ſufficienter adductæ, verificatæ, & juſtificatæ fuerint, aut ex alia qualibet quantumvis juſta, juridica, legitima, pia, & privilegiata cauſa, colore, prætextu, & capite, etiam in corpore Juris clauſo, etiam enormis, enormiſſimæ, & totalis læſionis, nullo unquam tempore de ſubreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, ſeu intentionis noſtræ, aut intereſſe habentium, conſenſus, aliovè quolibet, etiam quantumvis magno, & formali, ac ſubſtantiali, & incogitato, inexcogitabilique defectu notari, impugnari, infringi, retractari, limitari, modificari, in controverſiam vocari, aut ad terminos Juris reduci, ſeu adverſus illas reſtitutionis in integrum, apertionis oris, aliudvè quodcumque Juris, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari, aut etiam motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine ſimilibus conceſſo, vel emanato, quempiam in judicio,

vel extra illud uti; seu se juvare ullo modo posse, sed ipsas præsentes, ac præfatas Alexandri & Clementis Prædecessorum, litteras semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios & integros effectus sortiri, & obtinere, ac Vicariis Apostolicis prædictis, eorumque Missionariis in omnibus, & per omnia pleniſsimè suffragari, ac ab illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, inviolabiliter & inconcusè observari, sicque, & non aliter, in præmissis per quoscumque Judices ordinarios & delegatos, etiam causarum Palatii Apostoli Auditores, ac S. R. E. prędictæ Cardinales, etiam de latere Legatos, & Apostolicæ Sedis Nuncios, aliosvè quoslibet, quacumque praeeminentia, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet, quavis auctoritate judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari & definiri debere, ac irritum & inane, si secùs super his à quoquam, quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Mandantes propterea Venerabilibus fratribus Primatibus, Archiepiscopis, & Episcopis; & aliis Indiarum, aliarumque partium Orientalium Ordinariis, seu eorum Officialibus,

vel Vicariis in ſpiritualibus generalibus, necnon quorumvis Ordinum, Congregationum, Inſtitutorum, & Societatum, etiam Jeſu, Generalibus, aliiſque Superioribus Regularibus; ut præſentes litteras, ſeu earum exempla, etiam impreſſa, in ſuis quiſque Provinciis, Civitatibus, Diœceſibus, Capitulis, Monaſteriis, Conventibus, & Collegiis, Diſtrictibus, Juriſdictionibus, reſpectivè, omni mora, & dilatione, omnique tergiverſatione poſtpoſitis, ſolemniter publicari, ac a ſuis reſpectivè ſubditis inviolabiliter obſervari curent & faciant: Non obſtantibus piæ memoriæ Bonifacii PP. VIII. Prædeceſſoris pariter noſtri de una, & Concilii Generalis de duabus Dietis, ita ut vigore præſentium, etiam ultra duas, pluresvè dietas, quilibet in judicium trahi poſſit, ac quatenus opus ſit, Noſtra, & Cancellariæ Apoſtolicæ Regula de Jure quæſito non tollendo, aliiſque Apoſtolicis, ac in Univerſalibus, Provincialibuſque, & Synodalibus Conciliis, editis generalibus, vel ſpecialibus Conſtitutionibus, & ordinationibus, necnon quorumcumque Regnorum, Provinciarum, Ordinum, Congregationum, Inſtitutorum, Societatum, etiam Jeſu, Domorum, Conventuum, Monaſterio-

rum, Collegiorum, & Locorum, aliisvè quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, stylis, usibus, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis, & litteris Apostolicis, etiam eisdem Regnis, Provinciis, Ordinibus, Congregationibus, Societatibus etiam Jesu, Institutis, Domibus, Conventibus, Monasteriis, Collegiis, & Locis, eorumque Superioribus, & personis etiam particularibus, & aliis quibuscumque etiam speciali nota dignis, & de necessitate Juris, vel Facti omninò exprimendis, sub quibuscumque verborum tenoribus & formis, ac cum quibusvis mentis attestationes, restitutivi, & posteriorem datam eligendi facultatem concedentibus, quam nemini contra præsentes litteras suffragari posse decernimus, ac derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis dictis, irritantibusque, & aliisque decretis in genere vel in specie, etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus, etiam consistorialiter, seu ad quorumvis Regum, & Principum, aut quavis alia mundana, vel Ecclesiastica dignitate fulgentium instantiam, eorumvè intuitu, vel

contemplatione, & aliàs quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, emanatis, ac etiam pluries, & quantiscumque vicibus confirmatis, approbatis, iteratis, & innovatis, necnon omnibus & & singulis illis, quæ in supradictis Alexandri & Clementis Prædecessorum litteris concessa sunt, obstare. Quibus omnibus & singulis, etiamsi pro sufficienti illorum derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitùs omisso, & forma in illis tradita observata, exprimerentur, & insererentur, præsentibus pro plenè & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus specialiter. & expresse, ac plenissimè, & amplissimè derogamus, & derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscumque. Cæterùm volumus ut eædem præsentes litteræ, seu earum exempla, etiam impressa,

notificentur, & intimentur ſingulis Ordinum, Congregationum, Inſtitutorum, & Societatum, etiam Jeſu, Superioribus Generalibus, & Procuratoribus Generalibus, eiſque harum ſerie diſtrictè præcipimus, & mandamus, ut ipſas præſentes litteras tam ſuo, quàm ſuorum reſpectivè ſubditorum, ſeu inferiorum nomine acceptent, actumque acceptationis hujuſmodi in ſcriptis reddant, & exempla hujuſmodi pluribus viis quantocitiùs fieri poterit, tranſmittant ad eoſdem ſuos ſubditos, ſeu inferiores cum arctiſſimis præceptis eaſdem præſentes litteras, & in eis contenta, plenariè & integrè, ac verè & realiter, & cum effectu in omnibus, & per omnia exequendi, & obſervandi. Et quia difficilè foret præſentes litteras originales ubique oſtendi, & publicari, volumus pariter, & decernimus illarum tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis, eandem prorsùs fidem in judicio, & extra illud ubicumque locorum haberi, quæ haberetur ipſis præſentibus ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. DATUM Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die 23. De-

cembris 1673. Pontificatus nostri Anno quarto.

J. G. Slusius.

# CLEMENS PAPA X.

*Ad futuram rei memoriam.*

APOSTOLATUS officium quod inscrutabilis divinæ Sapientiæ atque bonitatis altitudo humilitati nostræ committere dignata est, salubriter exequi adjuvante Domino, jugiter satagentes, illa quæ à Catholicis Antistitibus in partem sollicitudinis nostræ vocatis pro fœlici Dominici gregis sibi commissi regimine, ac Christianæ Religionis Catholicæque fidei propagatione & progressu, prudenti, providâque pietate salubriter constituta & ordinata esse noscuntur, ut firma atque stabilia persistant, Apostolici muniminis nostri patrocinio libenter roboramus. Exponi siquidem nobis nuper fecit Venerabilis Frater Petrus Episcopus Beritensis Vicarius Apostolicus in Tunchino aliisque Sinarum partibus ab hac S. Sede Apostolica deputatus, quod ipse pro fœlici salubrique Christi fidelium earumdem partium Curæ suæ Pastorali commissorum in via mandatorum, directione ac Christianæ fidei & Religionis propagatione, piorumque operum progressu & incremento, Sy-

nodum in Tunchino die 14. Februarii 1670. celebravit, multaque in illâ Statuta, Decreta, & Ordinationes edidit, quæ nuper à particulari Congregatione Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis propagandæ fidei præpositorum revisa sunt, tenoris qui sequitur.

Ex quo datum est nobis in Tunkinense Regnum ingredi, id unum præ animo habuimus, ut majorem Dei gloriam ac Infidelium conversionem promoveremus. Cum autem inter varia, quæ suppetebant, media, maximè præ cæteris conducere videretur Synodi celebratio, Convocavimus eos omnes quorum consiliis in præsenti negotio uti possemus. Die igitur 14. Februarii M. DCLXX. coram nobis Petro Lambert Dei & Apostolicæ Sedis gratia Episcopo Beritensi Vicario Apostolico Sinarum, Tunchini, & juxta Brevia Sanctissimi Domini nostri Papæ Alexandri VII. data die 9. Septembris 1659. die 4. Februarii 1664. 13. Martii 1665. convenerunt Venerabiles ac dilectissimi Magistri Franciscus Deydier in sacra Theologia Doctor & Vicarius noster Generalis in hocce regno, Jacobus de Bourges, Gabriel Bouchard Baccalaureus Sorbonicus

Miſſionarii Apoſtolici, Benedictus Vanchieu natus an. 54. Joannes Vanhoc natus an. 46. Martinus natus an. 68. Antonius Vanhoc natus an. 56. Philippus Vannhum natus an. 52. Simon Kien natus an. 60. Jacobus Vanhiu natus an. 46. Vitus Vantui natus an. 30. Vito Vantrou natus an. 46. Omnes antea per plures annos in hoc Regno Catechiſtarum officiis functi, nunc vero ad Sacrum Preſbyteratus ordinem promoti, ut maximæ hujus Eccleſiæ neceſſitati ſuccurrant; de quorum conſilio ſolitis precibus ad Deum fuſis, ardentiuſque imploratâ Spiritus ſancti gratiâ in Pago Diughieu Provinciæ Kinam conſtitutiones ſequentes edidimus.

1. Humillimæ agentur gratiæ Sanctiſſimo Domino noſtro Papæ, quod ſingulari beneficio huic naſcenti Eccleſiæ Epiſcopum dignatus ſit concedere.

2. Diplomata ac privilegia nobis à S. Sede conceſſa jam antea, nempe 1. Octobris proximè elapſi in urbe Regiâ præſente Patre Dominico Fuciti Societatis Jeſu lecta, & à præcipuis Catechiſtis & Chriſti fidelibus admiſſa in Parochiis intra Miſſarum ſolemnia & Conventibus Chriſtianorum quam primùm promulgabuntur; Itemque declarabitur

omnibus, quod nullus Sacerdos ſive ſæcularis, ſive Regularis qualiſcumque ſit poſſit in hoc Regno Tunchini à peccatis abſolvere ſine noſtrâ, aut Vicarii noſtri Generalis approbatione, quæ quidem, ubi opus fuerit, revocari poſſit juxta Breve Clementis IX. Datum 13. Septembris 1669. quod incipit, ( Speculatores ) quo omnibus ſive ſæcularibus, ſive Religioſis, etiam Societatis Jeſu prohibuit, ne abſque Vicariorum Apoſtolicorum licentia ullum Sacramentum adminiſtrarent in locis dictorum Vicariorum Apoſtolicorum curæ commiſſis.

3. Quia hoc Regnum in quinque Provincias dividitur, Adminiſtratio Provinciæ Nagheam commiſſa eſt Magiſtro Martino, cujus ſedes ordinaria erit Parochia Langeau, quique à prædicta Parochia ad limites uſque Provinciæ Thanghoa Eccleſias omnes gubernabit. Magiſter vero Leo Vantrou ſedem habebit in Parochia Kilan, & à prædicta Parochia ad limites uſque Berreæ & Cocincinæ Eccleſias omnes adminiſtrabit. Magiſter Philippus Nhieri curam geret Provinciæ Superioris Tranghoa, & ordinariam ſedem habebit in Parochia Ke-ſo. Magiſter Vitus Vantri Provinciam infe-

riorem Tranghoa reget : ejus ordinaria ſedes erit Parochia Van-no. Magiſter Simon Kien adminiſtrabit partem Provinciæ inferioris Meridionalis, quæ ad Occidentem vergit, ſedemque ordinariam ſtatuet in Parochia Tuinh-Kien. Provincia vero Meridionalis quæ Orientem ſpectat, erit ſub directione Magiſtri Joannis Van-hoe, qui ſedem ordinariam figet in Parochia Kien-Lao. Provinciæ Orientis & Septentrionis, uti reliquiæ minores, Magiſtro Antonio Van-hoe commiſſæ ſunt, ejus ordinaria ſedes erit Parochia Keman. Magiſter Jacobus VanKiu præficitur Provinciæ Superiori Meridionali, & Provinciæ Orientis, quæ pauciores, quam aliæ, Eccleſias continent, ſedemque ordinariam ſtabiliet in Parochia Ker-Veu. Demum Magiſter Benedictus Van-hien duas urbis Regiæ Parochias, nempe Reſurrectionis & Nativitatis diriget.

4. Quoniam prædicti Sacerdotes officium Catechiſtæ exequi deinceps non poterunt, vices Magiſtri Benedicti ſuſcipiet Antonius Cam-Dingh; vices Magiſtri Joannis Ignatius Tai; Magiſtri Martini, Coſmas Hao; Magiſtri Antonii Jacobus Cau-gen; Magiſtri Philippi Paulus Van-hugen; Magiſtri Simonis Benedictus

Vantai; Magiſtri Jacobi Michaël Do; Magiſtri Viti Thadeas Li-tanh: Magiſtri vero Leonis Ægidius Van-phueng. Porro omnes hi Catechiſtæ ad minores Ordines jam promoti ſunt.

5. Nullus in hoc Regno ad Catechiſtæ munus admittetur, niſi prius diligenti examine præmiſſo, par huic officio à nobis, aut Vicario noſtro Generali habitus fuerit, patenteſque litteras ad id acceperit, & Profeſſionem fidei emiſerit.

6. Catechiſtæ prædictis Provinciarum ſuarum Adminiſtratoribus; hi vero nobis aut Vicario noſtro Generali de rebus omnibus ad Religionem ſpectantibus, quæ in ſingulis Provinciis contigerint, rationem reddent.

7. Singulis Eccleſiiis, ubi fuerit ſufficiens Chriſtianorum numerus, præficietur aliquis Eccleſiaſticus, ſi fieri poſſit, alioquin Laïcus, qui majori virtutum ac doctrinæ merito inter cæteros præfulſerit, ut diebus Dominicis ac feſtivis publicis preces agere, ac cæteris invigilare valeat.

8. Prædicti Præpoſiti de ſeipſis, ac de Chriſtianis ſibi commiſſis rationem Catechiſtis exhibebunt: Hi vero de ſeipſis

ac pariter de Præpoſitis illis Laïcis Adminiſtratori Provinciæ, intra cujus limites extiterint.

9. Uno quoque vertente anno Conventus Synodalis fiet coram nobis, aut Vicario noſtro Generali, ad quem vocabuntur Adminiſtratores, & in eo de rebus Religionis tractabitur.

10. Juxta formam primitùs in Eccleſia ſervatam, in commune conferentur omnia bona, proventus & eleemoſynæ, quæ ſponte à fidelibus ad hunc effectum offerentur, in uſum & ſuſtentationem Miniſtrorum Eccleſiæ, puerorum in Seminario inſtituendorum, & pauperum.

11. Singularum Provinciarum Eleemoſynæ apud Admiuiſtratores aſſervabuntur ipſorum conſilio in ejuſdem Provinciæ neceſſitates convertendæ: quibus, ſi quod collatum eſt minus ſufficiat, de communi Theſauro præſtabitur.

12. Si quid ſub anni finem ex Eleemoſynis ſuperfuerit, in ærarium commune deferatur, de noſtro vel Vicarii noſtri Generalis conſilio in ſumptus neceſſarios pro communi Chriſtianorum bono inſumendum.

13. Ne Adminiſtratores nimium negotiis temporalibus occupati, ſpiritualibus

minus intendant, in unaquaque Provincia duo ſaltem aderunt, qui de Adminiſtratorum conſilio neceſſaria coemant, aut ab aliis recipiant, quibus etiam rationem reddere teneantur.

14. Qui huc uſque bonorum communium curam habuit, eandem in poſterum adminiſtrabit.

15. Nos cum Vicario noſtro Generali id potiſſimum agemus, ut piè inſtituantur in Seminario, quos, poſt rite peracta probationis exercitia ad Eccleſiaſticum ſtatum à Deo vocari intelligemus.

16. Quilibet Adminiſtrator in id ſollicitius incumbet, ut pueros ad pietatem & mores optimos inſtituat, mittatque in Seminarium quos Clericatus Ordine dignos cenſebit, ut ibidem foveantur juxta Conſtitutiones quas Juthiæ jam pridem pro Miſſionariis noſtris edidimus, & Romæ ſunt impreſſæ atque approbatæ.

17. Adminiſtratores omnes ſtudeant uniformes eſſe in vita, moribus, doctrina, inſtructione, & pietatis officiis juxta eaſdem Conſtitutiones, memores ſe à divinâ largitate in ordinem Diſcipulorum Chriſti aſſumptos, adeoque fundamenta eſſe hujus Eccleſiæ; Dei honorem & Eccleſiæ decus præ manibus habere, deni-

que poſteris vivendi formam & exemplar exituros.

18. Ibidem Adminiſtratores non minimam quoque ſollicitudinem gerent erga virgines & viduas, quæ continentiam ſervare, divino cultui ſe mancipare, in communi vitam agere ſponte elegerint.

19. Cum antequam huc adventaſſet Vicarius noſter Generalis, plures abuſus nati ſunt ignorantiâ impedimentorum matrimonia dirimentium, Statuimus, ut ſingulis menſibus impedimenta affinitatis, aut cognationis tum naturalis, tum ſpiritualis, legaliſque, nec non alia quæ matrimonia contrahenda prohibent, aut contracta reſcindunt in Chriſtianorum Conventibus promulgentur.

20. Quoniam inſuper Eccleſiæ præcepta propter ignorantiam, hactenus à fidelibus obſervata minimè fuerunt, ſimiliter ſtatuimus, ut ſingulis Dominicis in Eccleſiis Parochialibus & aliis Conventibus declarentur.

21. Adminiſtratores, Catechiſtæ, & Præpoſiti hortabuntur Chriſtianam plebem, ut ſtrictam vitam & anguſtam Evangelii viam ſequatur ac ſervet, illi commendantes uſum meditationis, quam ſaltem diebus feſtivis publicè in Eccleſia

peragat, in ea maximè recolendo præcipua fidei nostræ mysteria.

22. Cùm plures Christiani propositis contra Religionem Edictis metu pœnæ paruerint, satis sibi sufficere rati, si fidem intus corde tenerent: Statutum est, ut in exhortationibus & prædicationibus, sæpius edoceantur fideles quando teneantur Christianam fidem exterius ore confiteri, reddentes vota quæ solemniter in Baptismate distinxerunt labia eorum; & ita qui priùs promissis non steterunt, pœnitentiam agant, & omnes in posterum, si nova persecutionis procella ingruerit, Christianam fidem cum bonorum ac vitæ periculo immaculatam servent Domino nostro Jesu Christo, qui nos adeo dilexit, ut totum sanguinem pretiosum pro nobis fuderit in Cruce.

23. Cum experientia didicerimus nullo modo fideles abhorrere ab unctionibus in Baptismo fieri præscriptis, volumus ut in ejus administratione semper adhibeantur, nisi eas omittere necessitas compellat.

24. Nullus Missionarius sive sæcularis, sive Regularis, commercium in hoc Regno, sive directè, sive indirectè exercere poterit sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ. Nobis aut Vica-

rio noſtro Generali reſervatæ, ad præſcriptum Conſtitutionum Urbani VIII. & Clementis IX.

25. Nullus Religioſus valide abſolvere poterit à caſibus contentis in Bulla Cœnæ, nec ab iis caſibus qui ab Ordinariis locorum reſervati ſunt vi privilegiorum ſuo Ordini ante Concil. Tridentin. conceſſorum, aut vi Confirmationum, quas poſt prædictum Concil. obtinere potuerint, cum hæc omnia revocata ſint Decreto S. Gongregationis de propaganda fide dato die 17. Novemb. an. 1638. approbato à Sanctiſſimo Domino noſtro Papa Urbano VIII. Nec etiam poterunt à prædictis caſibus abſolvere vi privilegiorum Bullæ Cruciatæ juxta reſponſiones Eminentiſſimorum PP. S. Inquiſitionis Generalis nobis factas die 20. Junii an. 1665.

26. Nullus Religioſus uti poterit privilegiis Ordini ſuo conceſſis, quæ ſunt in præjudicium authoritatis Parochorum locorum ubi fuerint, juxta reſponſum Congregationis deputatæ à Sanctiſſimo Domino noſtro Papa Innocentio X. ſuper controverſias ortas inter Dominum Epiſcopum Angelopolitanum & PP. Societatis ad tertium dubium ab iiſdem PP. propoſitum an. 1648.

27. Nullus Religiosus Patrinus esse poterit in Baptismo aut Confirmatione.

28. Nullus Religiosus Sacramentum Confirmationis administrare poterit, quicumque tandem casus occurrat, nullusque Superior domuüm Religiosarum subditis suis minores Ordines conferre, altaria & calices consecrare præsumet; etsi contrarium sentiat P. Antonius Quintanaduenas Societatis Jesu cum aliquibus ejusdem Societatis PP. quam sententiam falsam & temerariam declaravimus in censurâ nostrâ datâ Juthiæ pridie Kalend. Junii an. 1666. & Romæ approbata anno 1671.

29. Si dissentiones oriantur inter fideles, dirimentur ab Administratoribus cujusque Provinciæ, aut ab aliis quos ipsi Administratores eligent, quorum judicium si quis iniquum sibi sentiat, nos aut Vicarium nostrum Generalem appellet, ut illius juri consulatur.

30. Difficultates omnes de Doctrinâ, Religione, Sacramentis, & casibus conscientiæ, per Nos aut Vicarium nostrum Generalem dissolventur, in rebus autem gravioribus consulenda erit Apostolica sedes.

31. Omnes enixè precabuntur Deum Optimum Maximum: tum privatis ora-

tionibus, tum maximè in ſacroſancto Miſſæ ſacrificio, ut omnibus Miſſionariis Spiritum charitatis infundat, quatenus ſinguli certatim animarum ſaluti ferventer incumbant.

32. Reliquiæ SS. Juliani & Meliti ad nos Româ rranſmiſſæ cum patentibus litteris, quatenus ſic poſſint venerationi fidelium exponi, debito cum honore aſſervabuntur: Sancti Juliani quidem in Eccleſia Reſurrectionis: S. vero Meliti in Eccleſia Nativitatis urbis Regiæ.

33. Juxta Conſtitutiones Juthiæ jam pridem præſctiptas aſſumptus eſt in Patronum hujus Regni digniſſimum Sanctiſſimæ Virginis Sponſus B. Joſeph. Nullum igitur abſque illius implorato ſubſidio gravioris momenti in iis quæ religionem ſpectant, negotium unquam ſuſcipietur.

Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, prædictus Epiſcopus præmiſſa, quò firmius ſubſiſtant, & ſerventur exactius, Apoſtolicæ confirmationis noſtræ patrocinio communiri ſummopere deſideret: Nos piis ejuſdem Petri Epiſcopi Votis hac in re, quantum cum Domino poſſumus, favorabiliter annuere, eumque ſpecialibus favoribus & gratiis proſequi volentes, & à quibuſvis excommunica-

tionis, ſuſpenſionis & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris & pœnis à jure vel ab homine quavis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus extiterit ad effectum præſentium duntaxat conſequendum harum ſerie abſolventes & abſolutum fore cenſentes: Supplicationibus ejus nomine nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, *de memoratorum Cardinalium conſilio Synodum à Domino Petro Epiſcopo & Vicario Apoſtolico celebratam, ut præfertur, omniaque & ſingula in eâ edita Statuta, Ordinationes, & Decreta inſerta; authoritate Apoſtolica tenore præſentium approbamus & confirmamus, illiſque inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes & ſingulos Iuris & facti defectus, ſi qui deſuper quomodolibet intervenerint: ſupplemus.* Salvâ tamen ſemper in præmiſſis authoritate Congregationis prædictorum Cardinalium. Decernentes eaſdem præſentes Litteras ac Synodum in eaque edita Statuta, Ordinationes & Decreta præinſerta ſemper firma, valida, & efficacia exiſtere & fore, ſuoſque plenarios & integros effectus ſortiri & obtinere, ac ab omnibus & ſingulis ad quos ſpectat, & pro tempore quomodocumque

ſpectabit, in omnibus & per omnia inviolabiliter & inconcuſsè obſervari: Sicque in præmiſſis per quoſcumque Judices Ordinarios & delegatos, & cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, & alios quoſlibet quacumque præeminentia & poteſtate fungentes & functuros, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate & auctoritate, judicari & definiri debere, ac irritum & inane, ſi quid ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit atentari, nonobſtantibus Apoſtolicis ac in Univerſalibus, Provincialibuſque ac Synodalibus Conciliis, editis generalibus vel ſpecialibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus; nec-non quatenus opus ſit, quarumvis Eccleſiarum, Ordinum, Congregationum, Societarum etiam Jesu, Inſtitutorum, Provinciarum, Conventuum, Collegiorum, Monaſteriorum, & locorum piorum quorumcumque aliiſve quibuſvis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & Conſuetudinibus, Privilegiis quoque, Indultis & Litteris Apoſtolicis, Eccleſiis, Ordinibus, Congregationibus, Societatibus, etiam Jesu, Inſtitutis, Provinciis,

Conventibus, Collegiis, Monasteriis; & locis piis quibuscumque, illorumque Superioribus & Personis quibuslibet, sub quibuscunque verborum tenoribus & formis, & cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriarum, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusque & aliis decretis etiam motu proprio, & de Apostolicæ potestatis plenitudine, seu ad quarumcumque personarum, etiam Regum & Principum, seu aliàs quacunque mundana vel Ecclesiastica potestate fulgentium instantiam, & aliàs quomodolibet in genere vel in specie in contrariorum præmissorum concessis, & quantislibet vicibus confirmatis, innovatis & approbatis: Quibus omnibus & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua ac de verbo ad verbum; non autem per clausulas generales idem importantes mentio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servãda foret, tenores hujusmodi præsentibus pro plene & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice duntaxat specialiter

& expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem, ut earundem præſentium litterarum tranſſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis & ſigillo perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides adhibeatur ubique, quæ præſentibus ipſis adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ. DATUM Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo piſcatoris, die 23. Decembris 1673. Pontificatus noſtri anno quarto. Et inferius.

J. G. Slusius.

*Constitutio super Missionibus Religiosorum ad Iaponiam, & alias Regiones Indiarum Orientalium.*

# URBANUS PP. VIII.

*Vniversis Christi fidelibus præsentes litteras inspecturis, Salutem, & Apostolicam benedictionem.*

EX debito Pastoralis officii saluti animarum, & Fidei Catholicæ propagationi prospicientes, ea, quæ providè à Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris propterea ordinata fuerunt, si subinde experientia doceat, ea mutatione indigere, libenter immutamus, aliasque disponimus, pro ut ad Fidei Catholicæ propagationem, & animarum salutem hujusmodi conspicimus in Domino salubriter expedire. Aliàs siquidem fel. rec. Gregorius Papa XIII. Prædecessor noster certis tunc expressis causis adductus, per suas in simili forma Brevis litteras sub dat. die 28. Janvarii 1585. Pontificatûs sui anno 13. omnibus Patriarchis, & Episcopis, cujusvis Provinciæ Chinæ, & Japonis, sub interdicti Ecclesiastici, & suspensionis ab

ingreſſu Eccleſiæ, & Pontificalium exercitio; aliàs verò Sacerdotibus, Clericis, & Miniſtris Eccleſiaſticis tàm ſæcularibus, quàm cujuſvis Ordinis regularibus, cujuſcumque ſtatus, gradus, ordinis, & conditionis exiſterent, ſub excommunicationis majoris pœnis ipſo facto incurrendis interdixit, & inhibuit, ne ad earum Regiones, & Provincias Japonicas Evangelii prædicandi, vel doctrinam Chriſtianam docendi, aut Sacramenta adminiſtrandi, aliaque munia Eccleſiaſtica obeundi cauſa, ſine ſuæ, & Sedis Apoſtolicæ expreſſa licentia proficiſci auderent. Poſt modum autem rec. mem. Clemens Papa VIII. ſimiliter Prædeceſſor noſter, accepto quod tàm Chinæ, & Japonum, quàm aliæ illius vicinæ, & adjacentes Inſulæ, Regiones & Provinciæ, ac finitima Regna Indiæ Orientalis ampliſſima, & populis refertiſſima erant, & pro tantâ animarum multitudine ad Fidem Catholicam traducenda, & ſpiritualibus alimentis fovenda, plures operarii, ac Miniſtri neceſſarii erant, quàm ex ſola religioſorum ſocietate Jesu haberi poterant, omnibus & ſingulis Mendicantium Ordinum Magiſtris, ſeu Prioribus generalibus tunc, & pro tempore exiſtentibus indul-

ſit, ut cùm neceſſitas poſtulaſſet, quoſlibet Ordinis ſuæ ſpectatæ vitæ, & eruditionis Religioſos, quos nimirum ad prædicta officia, & miniſteria idoneos, & utiles fore in Domino judicarent, per Luſitaniam duntaxat, & ſuſceptâ inde navigatione, in Indias, & Civitatem Goan, atque ad Superiores Ordinum in illis partibus exiſtentes tranſmittere, & tàm ipſi ſic tranſmittendi, quàm alii ſupradictorum Ordinum Religioſi in eiſdem Indiarum partibus exiſtentes, & ad hoc munus obeundum à ſuis Magiſtris, Miniſtris, vel Prioribus generalibus, ſeu aliis Superioribus electi, & approbati, tàm ad Japonicas prædictas, quàm ad alias proximas, & adjacentes etiam Chinæ, & finitimorum Regnorum, & terræ firmæ Indiæ Orientalis inſulas, Regiones, & Provincias accedere poſſent. Cæterùm omnibus, & ſingulis Religioſis cujuſcumque ſtatus, gradus, Ordinis & conditionis eſſent, ſub excommunicationis majoris, à qua non niſi à Romano Pontifice, præter quam in articulo mortis abſolvi poſſent; nec-non privationis vocis tàm activæ, quàm paſſivæ, ac dignitatum, adminiſtrationum, & officiorum quorumcumque; nec-non inhabilitatis ad illa, &

alia in posterum obtinenda, ac exercenda pœnis ipso facto absque ulla declaratione incurrendis interdixit, & prohibuit, nec ex Insulis Philippinis nuncupatis, sive qualibet alia Indiarum Occidentalium, vel quæ pro partibus Indiarum Occidentalium tunc habebantur parte ad illas pertinente, in Japonicas, & alias illis proximas, adjacentes & finitimas Insusulas, Provincias & Regiones prædictas, etiam quorumcumque privilegiorum eis, vel suis Ordinibus à dicto Clemente, & Romanis Pontificibus prædecessoribus suis sub quibuscumque tenoribus, & formis in genere, vel in specie, etiam super facultate prædicandi verbum Dei per universum mundum eatenenus concessorum, seu in posterum etiam concedendotum, approbandorum & innovandorum, nisi in illis de prohibitione hujusmodi, & interdicto specialis, & specifica, & expressa mentio, cum sufficienti derogatione fieret, aut quovis alio prætextu, & quæsito colore proficisci, & transire auderent, vel præsumerent; & si qui eatenus, vel in posterum secus facerent postquam moniti essent, statim subeisdem, pœnis omni mora, & excusatione cessante, ad dictas Insulas Philippinas, vel alias

partes Indiarum Occidentalium reverti, & redire omninò tenerentur, & ad id per quoſcumque Judices Eccleſiaſticos ſub eiſdem & aliis eorum arbitrio infligendis pœnis cogi & compelli poſſent: Et ſubinde fel. rec. Paulus Papa V. ſimiliter Prædeceſſor noſter accepto, experientia compertum eſſe; quod prohibitio accedendi ad Indias, & Civitatem Goam, aliàs quàm per Luſitaniam, nec qui ſperabatur ex eo fructum pertulerat, neque Catholicæ Fidei propagationis negotio utilis fuerit; & propterea ut tantum opus Dei ſublato omni impedimento, liberè peragi poſſet, providere volens, omnibus & ſingulis Mendicantium Ordinum Magiſtris, Miniſtris, ſeu Prioribus generalibus, aut alio quocumque nomine nuncupatis Ordinum capitibus, tunc & pro tempore exiſtentibus, ut cum neceſſitas poſtularet, quoſlibet Ordinis ſui ſpectatæ vitæ, & eruditionis Religioſos, quos nimirum ad prædicta officia, & munia idoneos, & utiles fore in Domino judicaſſent, ad Superiores Ordinum in illis partibus exiſtentium, etiam per aliam viam, quam per Luſitaniam in Japonicas, & alias illis proximas adjacentes, & finitimas inſulas, Provincias & Regiones prædictas,

ſervata in reliquis dictarum litterarum Clementis Prædeceſſoris forma in omnibus, & per omnia, & non aliter, tranſmittere liberè, & licitè valerent, indulſit, & aliàs pro ut in Gregorii, & Clementis, ac Pauli V. Prædeceſſorum prædictorum litteris deſuper expeditis, quarum tenores præſentibus pro expreſſis haberi volumus, plenius continetur. Cùm autem experientia plurium annorum compertum fuerit, ordinationes in prædictis litteris contentas non ſufficere, eaſque aliqua proviſione indigere, ut in prædictas Inſulas, & Regna felicius, ac facilius ſacroſanctum Chriſti Domini Evangelium prædicari & propagari poſſit, ac valeat: Nos pro officii noſtri debito poſt habitam cum Venerabilibus Fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus negotio propagandæ Fidei per univerſum Mundum præpoſitis maturam deliberationem, præfati Pauli prædeceſſoris noſtri litteris inhærentes, omnibus & ſingulis Religionum cujuſcumque Ordinis, aut Inſtituti, etiam Societatis Jesu Magiſtris, Miniſtris, ſeu Prioribus Generalibus, aut quocumque nomine nnncupentur Ordinum capitibus nunc, & pro tempore exiſtentibus, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium concedimus,

mus, & indulgemus; ut cum eis expedire visum fuerit, quoslibet suarum Religionum, Ordinum, & Instituti Religiosos, quos ætate, vita, moribus, & scientia idoneos esse ad Missiones judicaverint, ad prædictas Insulas, Provincias, Regiones, & Regna Indiæ Orientalis, etiam per alias vias, quàm per Lusitaniam, liberè & licitè mittere possint, ac valeant, servata tamen in reliquis præfatarum litterarum Clementis Prædecessoris nostri forma in omnibus & per omnia & non aliter. Nec-non quoscumque Ecclesiasticos, & Religiosos cujuscumque Ordinis & Instituti, tam non Mendicantem, quàm Mendicantium, etiam Societatis Jesu, & sæculares Religiosorum, ut præfertur, mittendi ad Insulas, Provincias, Regiones & Regna prædicta, accessum hujusmodi impedientes, excommunicationis latæ sententiæ vinculo innodamus. Religiosos verò, ut supra mittendos, ac etiam missos, & in prædictis, locis nunc degentes plurimum in Domino hortamur, ut in docendo populos, & præsertim de recenti ad Fidem Christianam conversos, uniformes sint, nec ob doctrinæ diversitatem, præsertim in materiis moralibus Neophyti illi ali-

quod scandalum patiantur. Et quia in hâc re Generalium præfatorum curam & vigilantiam plurimum profuturam arbitramur, eisdem injungimus, ut prædictos suos Religiosos ad servandam prædictam conformitatem sæpius adhortentur. Ut autem id facilius succedat, præfati Religiosi in instruendis populis prædictorum locorum Indiæ Orientalis Cathechismum Romanum, & Doctrinam Christianam parvam, & magnam bon. mem. Roberti S.R.E. Cardinalis Bellarmini nuncupati, in linguas prædictorum populorum translatas, & impressas si fieri poterit, omninò adhibeant. Quoniam autem, sicut non sine animi dolore intelleximus, in Japone à plurimis annis contra Christianos, & præsertim Religiosos, acerrima persecutio fuit commota, eaque usque ad præsens perdurat & viget, omnibus, & singulis Christianis nunc in Japone existentibus, & pro tempore futuris, ut à quibusvis Sacerdotibus, ut supra à Generalibus eorum illùc missis, ac mittendis, quorum copiam habere poterunt; Sacramenta (ordinem tamen Episcopalem non requirentia) etiam parochialia, durante præsertim rerum statu, suscipere liberè, & licitè valeant, concedimus pa-

riter, & indulgemus. Cæterùm quia à sacris Canonibus, Conciliorum Decretis ac Apostolicis Constitutionibus, omnibus Religiosis, ac etiam aliis Ecclesiasticis, præsertim in sacris Ordinibus constitutis, mercatura, & negociationes sæculares districtè prohibentur, ac valdè damnosum, indecorum, & indecens existit, hujusmodi personas divino cultui mancipatas, ac præcipuè illas, quæ ad prædicandum sacrosanctum Christi Domini Evangelium destinatæ sunt, præfatis mercaturæ, & negociationibus se immiscere, aut operam dare, prædictorum sacrorum Canonum, ac Decretorum, Constitutionumque Apostolicarum dispositioni inhærentes, auctoritate Apostolica earumdem tenore præsentium Religiosis omnibus cujuscumque Ordinis, & Instituti, tàm non Mendicantium, quam Mendicantium, etiam Societatis Jesu, eorumque singulis tàm in prædictis locis nunc existentibus, quàm in futurum ad illa mittendis, omnem & quamcumque mercaturam, seu negociationem, quocumque modo ab eis fieri contingat, sive per se, sive per alios, sive proprio sive communitatis, nomine directè sive indirectè, aut quovis alio prætextu, causa,

aut colore, intérdicimus & prohibemus ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna ipſo facto incurrenda, ac privatione vocis activæ, & paſſivæ, officiorum, ac graduum, & dignitatum quarumcumque, etiam inhabilitatis ad ea, & inſuper amiſſionis mercium, & lucrorum ex eis factorum, quæ omnia à Superioribus Religioſorum, ex quibus delinquentes exiſtent, reſervanda erunt ad uſum Miſſionum, quæ eædem Religiones habent, & habituræ ſunt in futurum in prædictis Indiis, & non in alios uſus; eiſdem Superioribus diſtrictè præcipientes ſub eiſdem pœnis, ut in hoc invigilent, & contra delinquentes ad prædictas pœnas procedant, ſublata eiſdem facultate hujuſmodi delinquentibus aliquid ex dictis mercibus & lucris, quantumvis minimum remittendi, aut condonandi. Quòd ſi fortè aliquæ controverſiæ inter Religioſos dictarum Religionum, (quod Deus avertat,) oriantur, Epiſcopi locorum prædictorum pro tempore exiſtentes, tanquam Sedis Apoſtolicæ delegati, illas decidant, & terminent. Si verò graviora quædam negotia occurrerint, ea ad Nos, & Romanos Pontifices Succeſſores noſtros quanto citius ab eiſdem Epiſcopis

referantur, ut quod in illis ſtatui, ac decerni debeat, maturâ conſultatione adhibita, provideri poſſit, ſicque volumus & ordinamus. Decernentes præſentes litteras valitas, firmas, & efficaces exiſtere, & fore, ac ab omnibus, & ſingulis ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, inviolabiliter obſervari. Sicque per quoſcumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores; ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & diffiniri debere, ac irritum & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari. Mandantes propterea univerſis & ſingulis Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, ac cæteris Eccleſiarum, & locorum etiam Regularium Prælatis per univerſum Orbem conſtitutis, ut præſentes litteras in ſuis quiſque Provinciis, Civitatibus, Dioceſibus, Capitulis, & Juriſdictionibus ab omnibus inviolabiliter obſervari, & quoties ab Ordinum prædictorum Religioſis requiſiti fuerint ſolemniter publicari curent, & faciant. Non obſtantibus interdicto, & prohibitionibus, ac litteris dictorum præ-

deceſſorum, aliiſque præmiſſis, nec-non Apoſtolicis, ac in Synodalibus, Provincialibus, & Univerſalibus Conciliis editis, ſpecialibus, vel generalibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus, ac Conſtitutionibus de una, & duabus dietis, ita quod vigore præſentium, etiam ultra duas dietas quilibet trahi poſſit; nec-non prædictæ Societatis Jesu, aliarumque Religionum, Provinciarum, & Regionum prædictarum juramento, confirmatione Apoſtolica vel quævis firmitate alia roboratis Statutis, & Conſtitutionibus, Privilegiis quoque, Indultis, & litteris Apoſtolicis, illis eorumque Prælatis, Superioribus, & perſonis, etiam particularibus, ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac cum quibuſvis derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus & inſolitis clauſulis, ac irritantibus, ac aliis Decretis, etiam motu proprio, & ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine in genere, vel in ſpecie ac aliàs quomodolibet conceſſis, approbatis & innovatis. Quibus omnibus etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione aliàs de illis, eorumque tenoribus, ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas ge-

ales idem importantes mentio, seu
ævis alia expressio habenda, aut aliqua
a exquisita forma ad hoc servanda fo-
:, tenore hujusmodi, ac si de verbo ad
rbum, nihil penitus omisso, & forma
illis tradita observata inserti forent,
:æsentibus pro sufficienter expressis, &
ısertis habentes, hac vice specialiter, &
xpresè in quantum nostris prohibitio-
i & interdicto, aliisque præmissis ad-
ersentur, harum serie derogamus ac de-
ogatum esse, & censeri, neque illa eis
ıllatenus suffragari volumus, & declara-
mus, cæterisque contrariis quibuscum-
que. Declarantes etiam ac decernentes
facultatem eligendi posteriorem datam
quibusvis Ordinibus, Societatibus, etiam
Jesu nuncupatis, & aliis quibuscumque,
etiam speciali nota dignis concessam, ne-
mini adversus præsentes nostras litteras
posse unquam suffragari. Et quia difficile
foret, præsentes litteras ubicumque usus
venerit, ostendi & publicari. Volumus,
ut earum exemplis, etiam impressis, ma-
nu Notarii publici, vel alicujus dictarum
Religionum Sectetarii subscriptis, & per-
sonæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ,
vel cujusvis ex Generalibus prædictis si-
gillo munitis, eadem prorsus Fides in

judicio; & extra adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si essent exhibitæ, vel ostensæ. DATUM Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris, die 22. Februarii 1633. Pontificatus Nostri anno decimo.

M. A. MARALDUS.

*ONFIRMATIO ET EXTENSIO Constitutionis Vrbani VIII. super facultate accedendi ad partes Orientis per aliam viam, quàm per Lusitaniam.*

*Pro Episcopis & Vicariis Apostolicis in dictis partibus Orientis.*

# CLEMENS PAPA X.

*Ad futuram rei memoriam.*

INIUNCTI nobis cœlitus Pastoralis officii ratio postulat, ut ea quæ à Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris pro temporum conditione provide constituta fuerunt, si mutatis rerum circunstantiis fini per eos piè intento impedimentum adferre cognoscimus, immutare studeamus; sicut ad Catholicæ Fidei propagationem & animarum salutem expedire in Domino arbitramur. Dudum siquidem fœl. rec. Clemens Papa VIII. Prædecessor noster, per quasdam suas litteras inter alia indulserat omnibus & singulis Mendicantium ordinum Magistris, seu Prioribus Generalibus, tunc & pro tempore existentibus, ut cum necessitas postulasset, quoslibet Ordinis sui spectatæ

vitæ & eruditionis Religiosos, quos ad officia & ministeria prædicandi Evangelium, vel Doctrinam Christianam docendi & Sacramenta administrandi, aliaque munia Ecclesiastica obeundi idoneos & utiles fore in Domino judicarent, per Lusitaniam duntaxat & inde navigatione susceptâ in Indias & Civitatem Goan, atque ad Superiores Ordinum in illis partibus existentes transmittere; & tam ipsi sic transmittēdi, quam alii supradictorum Ordinum Religiosi in eisdem Indiarum partibus existentes, & ad hoc munus obeundam à suis Magistris, Ministris, vel Prioribus Generalibus, seu aliis Superioribus electi & approbati tam ad Japonicos, quam ad alias Provincias, & adjacentes etiam Chinæ & finitimorum Regnorum & Terræ fermæ Indiæ Orientis Insulas, Regiones & Provincias accedere possent. Et fœl. mem. Paulus PP. V. etiam Prædecessor noster (accepto) quod experientia compertum esset, prohibitionem accedendi ad Indias & Civitatem Goan; alias quam per Lusitaniam, eum qui sperabatur, fructum minimè protulisse, nec Catholicæ Fidei propagationis negotio utilem fuisse: Et propterea ut tantum opus Dei, sublato omni impedimento liberè

peragi posset, providere volens, itidem per quasdam suas litteras omnibus & singulis Ordinibus Mendicantium Magistris, Ministris, seu Prioribus Generalibus, aut alio quocumque nomine nuncupatis Ordinum Capitibus, tunc & pro tempore existentibus, ut cum necessitas postularet quoslibet Ordinis sui spectatæ vitæ & eruditionis Religiosos quos nimirum ad prædicta officia & munia idoneos & utiles fore in Domino judicassent, ad Superiores Ordinum in illis partibus existentes, etiam per aliam viam, quàm per Lusitaniam in Japonicas, & alias illis Provincias adjacentes & finitimas Insulas, Provincias & Regiones prædictas, servata in reliquis dictarum litterarum Clementis Prædecessoris forma, in omnibus, & per omnia & non aliter, transmittere liberè & licitè valerent, pariter indulserat. Piæ memoriæ Urbanus PP. VIII. similiter Prædecessor noster considerans experientia plurimorum annorum compertum fuisse ordinationes in præfatis litteris contentas non sufficere, easque aliqua provisione indigere, ut in ipsis Insulis & Regionibus fœlicius ac facilius sacrosanctum Christi Domini Evangelium prædicari & propagari posset; post hæc

bitam cum tunc exiſtentibus S. R. E. Cardinalibus negotio propagandæ Fidei per univerſum mundum præpoſitis maturam deliberationem præfati Pauli Prædeceſſoris litteris inhærens omnibus & ſingulis Religionum cujuſcumque Ordinis, aut Inſtituti, etiam Societatis Jeſu, Magiſtris, Miniſtris, ſeu Prioribus Generalibus, aut quocumque nomine nuncupatis Ordinum Capitibus tunc & pro tempore exiſtentibus auctoritate Apoſtolica conceſſit & indulſit, ut cum eis expedire viſum foret quoſlibet ſuarum Religionum, Ordinum & Inſtituti Religioſos quos ætate, vita, moribus, & ſcientia idoneos eſſe ad Miſſiones judicaſſent; ad præfatas Inſulas, Provincias, Regiones & Regna Indiæ Orientis, etiam per alias vias, quam per Luſitaniam liberè & licitè mittere poſſent & valerent, ſervata tamen in reliquis prædictarum litterarum Clementis Prædeceſſoris forma in omnibus & per omnia; nec-non quoſcunque Eccleſiaſticos & Religioſos cujuſcumque Ordinis & Inſtituti tam Mendicantium, quam non Mendicantium, etiam Societatis Jeſu, & ſæculares Religioſorum, ut præfertur, mittendorum ad Inſulas, Provincias, Regiones, & Regna ante dicta

accessum hujusmodi impedientes excommunicationis latæ sententiæ vinculo innodavit, ac pleraque alia constituit, pro ut in ipsius Urbani Prædecessoris litteris desuper in simili forma Brevis die 20. Febr. 1633. quarum tenores, ac præfatorum Clementis & Pauli Prædecessorum litterarum tenores præsentibus pro plenè & sufficienter expressis, & insertis haberi volumus, uberius continetur. Cum autem sicut Venerabiles Fratres Episcopi Vicarii Apostolici auctore Apostolica deputati in partibus Orientis commorantes nobis nuper exponi fecerunt, non minus ipsis ac Præsbyteris sæcularibus & Laïcis ad easdem partes missis & mittendis quam Religiosis supradictis difficile, ac Catholicæ fidei propagationi inutile sit iter & navigationem ad Indias Orientales & partes Sinarum per Lusitaniam suscipere, eisque aliæ viæ longe faciliores ac expeditiores pateant, Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in præmissis oportune providere & ut infrà indulgere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur specialem ipsis Episcopis & Vicariis Apostolicis gratiam facere volentes & eorum singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspen-

ſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis Sententiis, Cenſuris, & pœnis à jure vel ab homine quavis occaſione vel caſu latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt ad effectum præſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes & abſolutas fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, de præfatæ Congregationis Venerabilium Fratrum noſtrorum ejuſdem S. R. E. Cardinalium negotiationi propagandæ fidei præpoſitorum conſilio præfatas Urbani Prædeceſſoris litteras auctoritate Apoſtolica tenore præſentium confirmamus, approbamus & innovamus; ipſaſque litteras ad eoſdem Epiſcopos & Vicarios Apoſtolicos nec-non Sacerdotes ſæculares, & Laïcos tam miſſos quam in poſterum mittendos in Chinam, Cocincinam, Tunchinum, Siam, & alia Loca, Inſulas, Provincias Reges & Regna Indiarum & aliarum partium Orientis, ita ut ipſi & eorum quilibet illuc per alias quaſcumque vias ſibi bene viſas, quam per Luſitaniam proficiſci liberè pariter & licite poſſint & valeant, nec per Luſitaniam hujuſmodi tranſire, aut navigationem inde ſuſcipere ullo modo teneantur, ſervatâ tamen cæteroqui prædictarum Cle-

mentis Prædecessoris litterarum forma auctoritate & tenore præfatis extendimus & ampliamus: Ac quoscumque Ecclesiasticos & Religiosos cujuscunque Ordinis & Instituti, tam non Mendicantium, quàm Mendicantium etiam Societatis Jesu, & sęculares, Episcoporum & Vicariorum Apostolicorum, nec-non Sacerdotum sæcularium & Laïcorum tam missorum, quadam imposterum mittendorum, ut præfertur, ad Chinam, Cocincinam, Tunchinum, Siam & alia loca & Insulas, Provincias, Regiones & Regna Indiarum & aliarum partium Orientis hujusmodi accessum quomodolibet impedientes excommunicationis latæ Sententiæ vinculo pari formiter innodamus. Decernentes easdem præsentes litteras semper firmas, validas & efficaces existere, & fore, suosque plenarios & integros effectus sortiri & obtinere, ac illis ad quos spectat & pro tempore quandocumque spectabit in omnibus & per omnia plenissimè suffragari & ab eis respective inviolabiliter & inconcusè observari: Sicque per quoscumque Judices ordinarios & delegatos & causarum Palatii Apostoli Auditores & alios quoslibet quacumque præeminentia & potestate fungentes & functu-

ros, ſublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate & auctoritate, judicari & definiri debere, ac irritum & inane ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari. Mandantes propterea univerſis & ſingulis Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, ac cæteris Eccleſiarum & locorum etiam Regularium Prælatis per univerſum Orbem conſtitutis, ut præſentes litteras in ſuis quiſque Provinciis, Civitatibus, Diœceſibus, Capitulis & Juriſdictionibus ab omnibus inviolabiliter obſervari, & quoties à præfatis Epiſcopis & Vicariis Apoſtolicis, nec-non Sacerdotibus ſæcularibus & Laïcis tam miſſis, quam mittendis, ut præfertur, ſeu eorum aliqui fuerint requiſiti, ſolemniter publicari curent & faciant. Nonobſtantibus Conſtitutionibus & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon omnibus & ſingulis illis quæ memoratus Urbanus Prædeceſſor in ſuis præfatis litteris voluit non obſtare, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem ut præſentium litterarum tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica con-

ſtitutæ munitis, eadem prorſus fides ubique habeatur, quæ ipſis præſentibus haberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die 23. Decembris 1673. Pontificatus noſtri Anno quarto.

J. G. Slusius, &c.

*PRO EPISCOPIS VICARIIS Apostolicis apud Sinas &c. Prorogatio facultatis ordinandi Indigenas illarum partium, etiam absque titulo, cum Indulto eis commutandi Officium divinum.*

# CLEMENS PAPA X.

*Ad futuram rei memoriam.*

ALIAS emanarunt à fœl. rec. Alexandro PP. VII. Prædecessore nostro litteræ in simili forma Brevis tenoris, qui sequitur, videlicet: Alexander PP. VII. Ad futuram rei memoriam. Injuncti nobis cœlitus Pastoralis officii ratio postulat, ut nihil à nobis desiderari patiamur, quo Christiana Religio præsertim in longinquis partibus fœlicius in dies adspirante atque adjuvante Domino valeat propagari. Alias siquidem Venerabiles Fratres Franciscum Pallu Heliopolitanum, & Petrum Lambert Beritensem, nec-non tunc in humanis agentem bon. mem. Ignatium Cotolendi Metellopolitanum Episcopos Vicarios Apostolicos respective in partibus Sinarum sub certis modo & forma tunc expressis deputavimus. Ut au-

tem in partibus prædictis Sacerdotum indigenarum ordinatio facilius peragi, atque ita fides Catholica ibidem firmius benedicente Domino radicari valeret, memoratis Francisco ac Petro & Ignatio Episcopis cum Christi fidelibus earundem partium indigenis sibi respectivè, uti Vicariis Apostolicis hujusmodi pro tempore subditis, ut ipsi, licet idioma Latinum non intelligerent, nihilominus dummodo illud legere nossent, eisque Canon Missæ ac formulæ Sacramentorum Ecclesiæ declararentur, ad omnes etiam Sacros & Præbyteratus Ordines, servatis aliàs servandis promoveri, & promoti in illis, etiam in Altaris ministerio ministrare liberè & licitè possent & valerent, dispensandi: Nec non recitationem Officii divini, Horarum scilicet Canonicarum, eisdem Christi fidelibus in recitationem aliarum precum in eorum lingua arbitrio suo commutandi facultatem auctoritate Apostolica ad septennium duntaxat concessimus & impartiti sumus, & aliàs pro ut in ternis nostris in simili forma Brevis litteris die 10. Septembris 1659. & die 20. Septembris 1660. respectivè de super expeditis, quarum tenores præsentibus pro plene & sufficienter expressis & insertis

haberi volumus, uberius continetur. Cum autem ſicut pro parte præfatorum Franciſci & Petri Vicariorum Apoſtolicorum, ut præfatur deputatorum nobis nuper expoſitum fuit dictum ſeptennium verſus finem jam labatur, bona vero ſtabilia Sinenſium ad poſſidentes abſolute non ſpectent, ſed illorum domini ſunt Reges, qui dicta bona, quibus libitum eſt, vita durante concedunt, ac proinde ſuper hujuſmodi bonis perpetui Patrimonii titulus pro Ordinandis ad Sacros Ordines per eorum parentes ſeu alios in illis partibus aſſignari non poſſit. Nos propagandæ firmiuſque radicandæ in eiſdem partibus Catholicæ Fidei, quantum nobis ex alto conceditur conſultum eſſe cupientes, dictoſque Franciſcum & Petrum Vicarios Apoſtolicos amplioris favore gratiæ proſequi volentes, & eorum ſingulares perſonas à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis & interdicti aliiſque Eccleſiaſticis Sententiis, Cenſuris, & pœnis, à jure vel ab homine quavis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt, ad effectum præſentium duntaxat conſequendum harum ſerie abſolventes & abſolutas fore cenſentes de Venerabilium Fratrum noſtrorum S.R.E.

Cardinalium ſuper negotiis ſpiritualibus Regni Sinarum à nobis ſpecialiter deputatorum conſilio ſeptennium præfatum ad alios ſeptem annos à fine ejuſdem ſeptennii computandos dicta authoritate tenore præſentium prorogamus, extendimus, & ampliamus. Præterea præfatis Franciſco & Petro, nec-non aliis duobus Epiſcopis, per eos, ſeu eorum alterum, aut primum ab eorum altero ſuperſtite ordinatum reſpective vigore aliarum binarum noſtrarum etiam in formæ Brevis litterarum die 4. Februarii 1664. & die 28. Febr. proxime præteriti reſpective expeditarum, quarum tenores itidem pro plene & ſufficienter expreſſis haberi volumus, conſecrandis, quos pariter Vicarios Apoſtolicos in partibus prædictis per eaſdem litteras ſub certis modis & forma ibidem expreſſis deputavimus, ut ipſi tam reſiduo primodicti ſeptennii, quam aliis ſeptem annis per præſentes prorogatis durantibus Clericos memoratarum partium Indigenas etiam abſque titulo, ſervatis tamen alias tam ex Sacrorum Canonum, quam ex primodictarum noſtrarum litterarum præſcripta ſervandis, ad Sacros & Preſbyteratus Ordines pomovere licite & liberè poſſint & valeant, facul-

tatem elapſis ſeptem annis per præſentes litteras prorogatis illicò expiratarum auctoritate & tenore præfatis concedimus & impartimur; ſalva tamen ſemper in præmiſſis auctoritate Congregationis Prædictorum Cardinalium. Non obſtantibus Apoſtolicis ac in univerſalibus Provincialibuſque Conciliis editis generalibus, vel ſpecialibus Conſtitutionibus & Ordinationibus cæteriſque contrariis quibuſcumque. DATUM Romæ apud ſanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die 13. Martii 1665. Pontificatus noſtri anno 10. Et ſubinde fœl. memor. Clemen. PP. IX. & Prædeceſſor noſter facultatem eiſdem Epiſcopis Vicariis Apoſtolicis per præ inſertas litteras à memorato Alexãdro Prædeceſſore ad ſeptennium prorogatas & de novo conceſſas reſpective ad alios 7. annos pariter auctoritate extendit & prorogavit, & aliàs pro ut in ipſius Clemens prædictis litteris pariter in formâ Brevis die 13. Octobris 1669. de ſuper expeditis, qnarum tenorem præſentibus pro plene & ſufficienter expreſſo & inſerto haberi volumus, uberius continetur. Nunc autem nos ut Chriſtiana Religio & Catholica fides Domino benedicente in partibus prædictis firmius ſtabiliuſque fo-

lidari & latius propagari valeant, pro commissa nobis cœlitus Pastoralis Officii cura, salubriter providere ac supradictos Episcopos Vicarios Apostolicos amplioris favore gratiæ prosequi volentes, & eorum singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis & Interdicti aliisque Ecclesiasticis censuris & pœnis à jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium duntaxat consequendum harum serie absolventes & absolutos fore censentes, de pari Congregationis Venerabilium Fratrum nostrorum ejusdem S. R. E. Cardinalium negotiis prædictæ fidei præpositorum consilio, easdem facultates quæ dictis Episcopis Vicariis Apostolicis per præinsertas litteras à præfato Alexandro Prædecessore ad septennium prorogatæ, & de novo concessæ, ac ad alios 7. annos à dicto Clemente Prædecessore per suas præfatas litteras prorogatæ fuerunt, respective ut præfatur, ad aliud septennium à fine eorundem septem annorum à Clemente Prædecessore prorogatorum computandum, quo & residuo temporis, ut præfertur, prorogati durantibus, ipsi Episcopi Vicarii Apostolici, illis quos ad Sacros

Ordines

Ordines vigore facultatum hujusmodi promoverint, etiam recitationem Officii divini, horarum videlicet Canonicarum in alias preces per eos diebus singulis recitandas eorum arbitrio authoritate nostra Apostolica commutare, libere pariter & licite possint & valeant, servata tamen & salva in reliquis remanente earundem Alexandri & Clementis Prędecessorum litterarum formâ & dispositione, dicta auctoritate harum serie prorogamus pariter & extendimus & ampliamus, salva tamen in præmissis auctoritate Congregationis eorundem Cardinalium. Nonobstantibus Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis nec non omnibus & singulis illis quæ in prædictis Alexandri & Clementis Prædecessorum litteris concessa sunt non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 23. de Octobris 1673. Pontificatus nostri anno 4.

J. G. Slusius, & supra Sigillatum die Sigillorum.

*DILECTIS FILIIS Inquisitoribus Civitatis Goæ.*

# CLEMENS PAPA X.

DILECTI Filii salutem in Domino. Cum ad aures nostras non sine magno mœroris sensu pervenerit hujus S. Sedis Administros in partes Orientales ab eadem missos ab istius Inquisitionis Tribunali, ejusdemque Officialibus male habitos ac divexatos vehementer fuisse, mirati enimvero de eo magnopere sumus: Cum enim sacrosanctæ Inquisitionis munus unicè sit impedimenta omnia removere, quæ in Ecclesia Dei Fidei Christianæ integritati, conservationi, ac propagationi obesse possent, alienum profectò ab istius Tribunalis instituto nobis visum fuit, id quod adversus prædictos hujus S. Sedis Operarios ad propagandam Catholicam Fidem, in Asiam Orientalem ab eadem missos Officiales vestri, ac præsertim Commissarius Siami perpetrarunt. Ut enim nobis expositum fuit, absque ulla authoritate ipsi competente injuriosè procedere ausus est contra Venerabilem Fratrem Petrum Episcopum Berytensem Vi-

carii Apoſtolici munere inſignitum, illum ſcilicet aſtringendo ad oſtenſionem Diplomatum, eoque renuente, ut pote huic S. Sedis immediate ſubjecto, non modo ſacroſanctæ Inquiſitioni rebellem, verum etiam ſuſpectum in fide declarando demumque mandando cunctis fidelibus, ut nullam cum illo conſuetudinem haberent; Imo ab ejuſdem & Miſſionariorum colloquio omnino recederent, affixâ ſuper hoc, magno cum Chriſtianorum omnium ſcandalo ac fidei detrimento, Eccleſiarum foribus ſententiâ: Ex quo factum eſt, ut alter Inquiſitionis Goanæ Officialis Miſſionarium in illas Regiones ab hac S. Sede miſſum Camboiæ laborantem ſub hæreſeos prætextu Miſſionis loco ejectum, ad urbem Macaenſem tranſportari juſſerit, ubi ab ejuſdem Inquiſitionis Commiſſario in carcerem ignominiosè detruſus, in eoque per quinque menſes detentus, in carceres demum Inquiſitionis Goanæ tranſvectus fuit, uti alteri Miſſionario paulo ante contigerat maximo cum Chriſtianorum damno, qui Miſſionariorum auxilio privati dæmonis incurſibus patent, hoſtiſque infenſiſſimi dolis nullo ſuffragante expoſiti ſunt. Etſi autem nullatenus noſtrum in animum indu-

cere possumus de mandato istius Tribunalis talia peracta esse, nec Officialium inferiorum culpam in caput refundendam censeamus; ab ea tamen omninò vos excusare profecto nequimus, dum nullam à vobis Commissario Siami pro injuria prænominato Episcopo Berytensi illatâ irrogatam pœnam, nec secutam cæterorum Officialium istius Inquisitionis, qui in Officio deliquerunt, uti par erat, remotionem animadvertimus. Quare pro commissâ nobis à Domino nostro Jesu Christo supremâ Ecclesiæ suæ præsidentia, ut omnia imposterum fidei propagandæ impedimenta removeamus, Vicarios omnes Apostolicos eorumque Missionarios jam missos, nec-non ad Sinas, in Cocincinam, Tunchinum, Siamum, Camboiam, aliaque loca Orientis in dies mittendos ab Inquisitionis Goanæ Jurisdictione in iis Regionibus, quæ temporali Regis Portugalliæ Dominio non subsunt, prorsus immunes declaramus, vobis Apostolica authoritate mandantes, ut à quovis ejusdem actu sive per vos, sive per inferiores Officiales sub quocumque prætextu, colore, aut privilegio adversus ipsos exercendo penitus abstineatis Hujus S. Sedis voluntati, secus agentes magno

cum filialis erga eandem obſervantiæ veſtræ dedecore adverſaturi: perpensâ vero ſingulari pietate veſtra nullo modo id contingere poſſe, pro certo habentes. Vobis interim, Dilecti Filii, Apoſtolicam benedictionem paternè prorſus impertimur. DATUM Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris, die 10. Novembris 1673. Pontificatus noſtri anno 4.

*PRO VICARIIS APOSTOLICIS, eorumque Missionariis in Indiis Orientalibus & partibus Sinarum, &c. Exemptio à Iurisdictione Inquisitionis Goanæ.*

# CLEMENS PAPA X.

*Ad futuram rei memoriam.*

SOLLICITUDO Pastoralis Officii, quo Ecclesiæ Catholicæ per universum Orbem diffusæ regimini divina dispositione præsidemus nos admonet, ut ea quæ Catholicæ Fidei propagationi impedimentum afferre possunt, è medio tollere, & operarios in vinea Domini strenue utiliterque laborantes ab indebitis gravaminibus atque molestiis, quantum cum Domino possumus, tueri studeamus. Cum itaque (sicut non sine gravi animi nostri dolore accepimus) Venerabiles Fratres Episcopi Vicarii Apostolici in Indiis Orientalibus & partibus Sinarum ab hac S. Sede Apostolica deputati eorumque Missionarii varias vexationes à dilectis filiis Commissariis, aliisque Officialibus, seu Ministris Officii Inquisitionis adversus hæreticam pravitatem in Civitate Goana,

auctoritate Apostolica instituti acceperint & passi, ac eorum aliqui à Missionum locis amoti, & in carcere detenti fuerint, in grave sancti operis conversionis Infidelium, ac propagationis Catholicæ Fidei, cui dictæ Sedis auctoritate destinati sunt, præjudicium & detrimentum. Nos ejusmodi malis ansam & occasionem in futurum præcidere cupientes, eosdem Vicarios Apostolicos eorumque Missionarios tam missos, quam mittendos, & eorum quemlibet à quacumque Jurisdictione Inquisitorum Commissariorum, Judicum, aliorumve quorumlibet Officialium & Ministrorum dicti Officii Inquisitionis hæreticæ pravitatis in ea parte tantum, in qua charissimus in Christo filius noster Portugalliæ & Algarbiorum Rex illustris temporaliter non dominatur, scilicet in China, Cocincina, Tunchino, Siam, Camboggia, & aliis locis quæ memoratis Vicariis Apostolicis commissa, & partibus Infidelibus subjecta sunt, auctoritate Apostolica tenore præsentium eximimus, & plenarie liberamus, ac exemptos & liberatos dictæque Jurisdictioni minime obnoxios esse & fore decernimus & declaramus districtè prohibentes Inquisitoribus præfatis, &

per ipſos omnibus eorum Commiſſariis ac Miniſtris & Officialibus, ne impoſterum ullum Juriſdictionis actum in dictos Vicarios Apoſtolicos, & eorum Miſſionarios exercere audeant quovis modo, ſeu præſumant. Ac decernentes ipſas præſentes litteras ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere & fore, ſuoſque plenarios & integros effectus ſortiri & obtinere, ac Vicariis Apoſtolicis & Miſſionariis prædictis in omnibus & per omnia pleniſſime ſuffragari, & ab illis ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, inviolabiliter & inconcuſſe obſervari, ſicque & non aliter in præmiſſis per quoſcumque Judices ordinarios & delegatos, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac prædictos Inquiſitores, & alios quoſlibet quacumque præeminentia & poteſtate fungentes & functuros, ſublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate & auctoritate, judicari & definiri debere, ac irritum & inane, ſi quid ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari. Nonobſtantibus Apoſtolicis ac in Conciliis etiam Univerſitatibus, editis generalibus, vel ſpecialibus Conſtitutionibus & Ordinationibus;

nec-non dicti Inquisitionis Officii, aliisve quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alias roboratis, Statutis, Consuetudinibus, Privilegiis quibuscumque, Indultis, & litteris Apostolicis, eidem Inquisitionis Officio illiusque Inquisitoribus, Commissariis, Officialibus, & Ministris, aliisque personis quibuslibet, sub quibuscunque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam & derogatoriarũ derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis & insolitis clausulis irritantibusque & aliis Decretis etiam motu proprio, & de Apostolicæ potestatis plenitudine, seu ad quarumcumque personarum, etiam Regia aliave qualibet mundana vel Ecclesiastica potestate fulgentium instantiam, & alias quomodolibet in contrarium præmissorum in genere vel in specie concessis, ac pluries & quantiscumque vicibus confirmatis, approbatis & innovatis. Quibus omnibus & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, non autem per Clausulas generales idem importantes mentio seu quævis alia expressio aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret,

tenores hujuſmodi præſentibus pro plene & ſufficienter expreſſe ac de verbo ad verbum inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris ad præmiſſorum effectum, hac vice duntaxat ſpecialiter & expreſſe derogamus ac derogatum eſſe volumus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem ut earundem præſentium litteratum tranſſumptis ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis ac ſigillo perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides adhibeatur ubique, quæ præſentibus ipſis adhiberetur ſi forent oſtenſæ vel exhibitæ. DATUM Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris, die 22. Decembris 1673. Pontificatus noſtri anno 4.

J. G. Slusius.

*VENERABILI FRATRI*
*Archiepiſcopo Goæ, ſeu dilectis filiis ejuſdem Cathedralis Capitulo.*

# CLEMENS PAPA X.

VENERABILIS Frater, ſeu dilecti filii, ſalutem, &c. Cum per litteras ab Indiis Orientalibus ad nos tranſmiſſas acceperimus à vobis ~~[illegible]~~ vestrisque Officialibus ſubreptitias declaratas eſſe Pontificias Bullas Epiſcopis Gallis ab hac S. Sede in Indias Orientales immediatè miſſis indultas; nec-non quoſdam Miniſtros veſtros Siami degentes contumeliosè præſertim egiſſe contra Epiſcopum Beritenſem, non ſolum ipſum cogendo ad Bullas exhibendas, ac ſi Capitulo, non vero huic S. Sedi immediatè ſubjectus fuiſſet, ſed etiam excommunicando & ducenta nummorum pœnâ mulctando Chriſtianos omnes qui cum eo conſuetudinem haberent, prætermittere nullo modo potuimus quin conceptum prædictis de cauſis intimum dolorem per has litteras vobis explicaremus, ſimulque ſignificaremus adeo incredibilia nobis viſa eſſe quæ de illatis à Miniſtris veſtris Miſſionariis

Apoſtolicis vexationibus accepimus, ut niſi proborum virorum teſtimonio ab omni ſuſpicione alieno comprobata fuiſſent, nullatenus adduci potuiſſemus, ut illis fidem præſtaremus. Quia vero facile nobis perſuademus vos atque Officiales veſtros veritatis potius ignorantiâ, quàm ex inobedientia erga ſanctã hanc Sedem talia perpetraſſe, omnimodè ſperamus fore, ut intellectâ Bullarum ab hac ſancta Sede in favorem Vicariorum Apoſtolicorum eorumque Miſſionariorum emanatarum veritate; nec-non perſpicue hac ſuper re apparente ſententiâ noſtrâ, omnia impoſterum ad laudem Dei Eccleſiæque Orientis utilitatem cedant. Prædictos quocirca Epiſcopos Gallos eorumque Miſſionarios huic ſanctæ Sedi immediate ſubjectos declarantes, vobis Apoſtolica authoritate præcipimus, ut ſub graviſſimis pœnis, ac præſertim Officii privatione, ſupradictis Officialibus prohibeatis, ne impoſterum adverſus prænominatos Vicarios Apoſtolicos, eorumque Miſſionarios actum ullum Juriſdictionis extra Dominium temporale Regis Portugalliæ exercere audeant: Sed illos tanquam ab hac Sancta Sede immediate dependentes peculiari re-

verentia proſequantur , piiſque eorum conatibus eâ , quâ par eſt , charitate præſto ſint. Meliora interim de veſtrâ erga Pontificias Bullas obſervantiâ à prædictis Apoſtolicis prorſus expectantes , Fraternitati tuæ , ſeu vobis dilectis filiis , Apoſtolicam Benedictionem ex animo impertimur. DATUM Romæ ſub Annulo Piſcatoris , die 10. Novembris 1673. Pontificatus noſtri anno quarto.

*EPISCOPOS INDIARUM non posse in Vicarios Apostolicos exercere actus Iurisdictionales.*

# CLEMENS PAPA X.

*Ad futuram rei memoriam,*

CHRISTIANÆ Religionis Catholicæque fidei propagationis opus, quod Venerabiles Fratres Episcopi Vicarii Apostolici apud Orientis regna ex hujus S. Sedis Apostolicæ mandato laudabiliter susceperunt & fœliciter prosequuntur, quantum nobis ex alto conceditur, promovere, ipsorumque Vicariorum Apostolicorum quieti consulere & pia eorum studia confovere cupientes, de particularis Congregationis Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis propagandæ fidei præpositorum super rebus Sinarum deputatæ consilio, auctoritate Apostolica tenore præsentium Declaramus, *Venerabiles etiam Fratres Episcopos Indiarum aliarumque partium Orientis, eorumque Ministros & Officiales non posse nec debere exercere actus Iurisdictionales supra prædictos Vicarios Apostolicos tanquam delegatos S. Sedis*

*prædicta, eorumque Operarios in Provinciis ſibi aſſignatis:* Sed eiſdem Vicariis delegatis Apoſtolicis in prædictis Provinciis juriſdictionem privatæ quoad omnes competere, donec aliter fuerit à Congregatione eorumdem Cardinalium declaratum: Porrò contraventores eo ipſo in pœnas excommunicationis & indignationis noſtræ incurriſſe cenſeri: Ipſas vero præſentes litteras ſemper firmas, validas & efficaces exiſtere & fore, ſuoſque plenarios & integros effectus ſortiri & obtinere, ac ab illis ad quos ſpectat & ſpectabit in futurum, inviolabiliter obſervari. Sicque & non aliter in præmiſſis per quoſcumque judices ordinarios & Delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, alioſve quoſlibet quacumque præeminentia & poteſtate fungentes & functuros, ſublatâ eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate & auctoritate judicari & definiri debere; ac irritum & inane ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari decernimus. Non obſtantibus Apoſtolicis ac in univerſalibus Provincialibuſque ac Synodalibus conciliis, editis generalibus, vel ſpecialibus Conſtitutionibus & Ordina-

tionibus. Nec-non quibuſvis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis & conſuetudinibus, privilegiis quoque, Indultis, & litteris Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis & innovatis. Quibus omnibus & ſingulis illorum tenores præſentibus pro plene & ſufficienter expreſſis & de verbo ad verbum inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum hac vice duntaxat ſpecialiter & expreſſe derogamus cæteriſque quibuſcumque contrariis. Volumus autem ut earumdem præſentium litterarum tranſſumptis ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis & ſigillo perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides in judicio & extra illud ubique habeatur, quæ haberetur ipſis præſentibus ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. DATUM Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris, die 7. Junii 1674. Pontificatus noſtri anno 5.

J. G. SLUSIUS ~~& Sigillatum~~

*PRO EPISCOPIS VICARIIS Apostolicis apud Sinas, &c. Prohibitio ne quisquam emendicet vel acceptet litteras Vicariatus pro exercenda Iurisdictione in locis eis commissis.*

# CLEMENS PAPA X.

*Ad futuram rei memoriam.*

ILLIUS qui Charitas est & Deus pacis vices licet immeriti gerentes in Terris in eam præcipue curam sollicitis studiis incumbimus, ut ea quæ pacem Christianam, sine qua non bene colitur pacis auctor, lædere ac dissidiorum & Schismatum inter Christi fideles præsertim in longinquis ab hac S. Sede partibus degentes causam præbere noscuntur, oportunæ provisionis ministerio recidere atque amovere satagamus. Cum itaque sicut non sine gravi animi nostri molestia ad aures nostras pervenit, inter Christianos Tunchinenses, Cocincinenses, & alios variæ divisiones & Schismata sint exorta, quibus Ecclesiæ Orientis pax & concordia multis ab hic annis plurimum labefactata reperitur: Nos ut pristina eidem Ecclesiæ

pax reddatur atque tranquillitas, de salutari remedio providere cupientes de particularis Congregationis Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis prædictæ fidei præpositorum consilio, omnibus & singulis Ecclesiasticis & sæcularibus cujuscumque status, gradus & conditionis, nec-non omnibus & singularibus cujuslibet Religionis, Congregationis, Ordinis & instituti, etiam Societatis Jesu : Ne sub quovis prætextu, colore, causa, vel occasione, aut vigore cujuscumque privilegii vel Indulti à Sede Apostolica emanati, ab ullo Primate, Archiepiscopo, Episcopo, Capitulo, Gubernatore, Administratore, Visitatore, Vicario vel alio quocumque litteras deputationis in Vicarium Generalem vel foraneum seu, ut aiunt, de Vara, Visitatorem, vel alterius cujuscunque tituli & dignitatis pro exercenda quocunque modo vel titulo jurisdictione in locis quæ Venerabilibus Fratribus Episcopis Vicariis Apostolicis in China, Tunchino, Cochincina, Siam, Camboggia aliisque Sinarum & Orientis præsentibus ab eadem S. Sede deputata & commissa sunt, seu fuerint in futurum, emendicare, nec etiam oblatas accipere, vel illis quovis modo uti audeant quo-

modolibet ſeu præſumant, ſub excommunicationis latæ Sententiæ pœna per eos ipſo facto incurrenda auctoritate Apoſtolica tenore præſentium diſtricte prohibemus & interdicimus. Decernentes eaſdem præſentes litteras ſemper firmas, validas & efficaces exiſtere & fore, ſuoſque plenarios & integros effectus ſortiri & obtinere, ac ab illis ad quos ſpectat & pro tempore quandocumque ſpectabit, inviolabiliter & inconcuſſe obſervari. Sicque & non aliter ac in præmiſſis per quoſcumque judices ordinarios & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, & alios quoſlibet quacunque præeminentia & poteſtate fungentes & functuros, ſublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate & auctoritate judicari & definiri debere, ac irritum & inane ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus Apoſtolicis, ac in univerſalibus Provincialibuſque ac Synodalibus Conciliis, editis generalibus, vel ſpecialibus Conſtitutionibus & Ordinationibus, ac quarumcumque Eccleſiarum etiam Metropolitanarum & Primatialium, Ordinum, Congregationum,

Religionum, & institutorum, etiam Societatis Jesu, Provinciarum, Conventuum, Collegiorum & aliorum locorum prædictorum quorumlibet, aliisve quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, consuetudinibus privilegiisque, & indultis quoque & litteris Apostolicis eisdem Ecclesiis, Ordinibus, Congregationibus, Religionibus & institutis, etiam Societati Jesu, Provinciis, Conventibus, Collegiis, & locis piis, illorumque respective Præsulibus, Prælatis, Superioribus & personis aliisque quibuslibet, sub quibuscumque verborum tenoribus & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis ac in solitis clausulis irritantibusque & aliis decretis, etiam motu proprio & de Apostolicæ potestatis plenitudine, vel ad quarumcumque personarum, etiam Regia aut Archiepiscopali aut Primatiali aliave qualibet Ecclesiastica vel mundana dignitate & potestate fulgentium instantiam seu earum contemplationem, vel alias quomodolibet in genere vel in specie in contrarium præmissorum concessis, ac pluries ac quantiscumque vicibus confirmatis,

matis iteratis ; approbatis & innovatis. Quibus omnibus & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica & expressa ac individua ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, ac forma in illis tradita observata exprimerentur, & insererentur præsentibus pro plene & sufficienter insertis & expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice duntaxat specialiter & expresse derogamus cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem ut earumdem præsentium litterarum ttanssumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides ubique habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ. DATUM Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 23. Decembris 1673. Pontificatus nostri anno 4.

J. G. SLUSIUS, &c.

## *PRO VICARIIS APOSTOLICIS apud Sinas eorumque Missionariis.*

### *Indultum celebrandi Missam capite tecto.*

# CLEMENS PAPA X.

*Ad futuram rei memoriam.*

ROMANUS Pontifex in Cathedra Principis Apostolorum cum potestatis plenitudine à Domino constitutus, sacrorum Canonum rigorem justis & rationabilibus ex causis interdum temperat & relaxat, sicut ad ædificationem Christi fidelium, fideique Catholicæ propagationem salubriter expedire arbitratur. Dudum siquidem fœl. record. Paulo Papæ V. Prædecessori nostro pro parte tunc existentium Clericorum Regularium Societatis Jesu in florentissimo & amplissimo Sinarum Regno commorantium, ac inibi conversioni illarum Gentium operam dantium exposito, quod cum in illis regionibus divino auxilio non parvum ostium Evangelicæ prædicationi apertum esset, conversioni autem animarum non modicum præberet impedimentum, quod sacro-san-

ctum Miſſæ ſacrificium tecto capite celebrari non poſſet; plurimum expediebat ejuſmodi impedimentum amoveri, ut innumerabilium populorum, qui Deum nundum noverant, converſioni oportunè conſuleretur; Idem Paulus Prædeceſſor: tunc & pro tempore exiſtentibus dictæ Societatis Jeſu Regularibus in dicto regno Sinarum converſioni illarum Gentium operam dantibus & aliis Catholicis Sacerdotibus ibi exiſtentibus, ut quo uſque à Sede Apoſtolica aliter declaratum non fuiſſet in ſacroſancti Miſſæ ſacrificii celebratione caput contectum habere poſſent ſub certis modo & forma tunc expreſſis auctoritate Apoſtolica conceſſit & Indulſit, & aliàs pro ut in ipſius Pauli Prædeceſſoris litteris deſuper in ſimili forma Brevis die 27. Junii 1615. expeditis quarum tenorem præſentibus pro plenè & ſufficienter expreſſo & inſerto haberi volumus, plenius continetur. Nunc autem nos Infidelium in dicto Regno ac adjacentibus illi partibus exiſtentium converſionem & animarum ſalutem pari Apoſtolicæ charitatis zelo, quantum nobis ex alto conceditur, promovere cupientes, ac Venerabilis Fratris Petri Lambert Epiſcopi Beritenſis Vicarii Apoſtolici in eiſ-

dem Sinarum aliiſque adjacentibus regionibus ab hac S. Sede deputati, votis favorabiliter annuere volentes; eumque à quibuſvis excommunicationis ſuſpenſionis & interdicti aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis cenſuris, & pœnis à jure vel ab homine quavis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium duntaxat conſequentium, harum ſerie abſolventes & abſolutum fore cenſentes, ſuplicationibus eius nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, matura deliberatione præhabita cum particulari Congregatione Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium negotiis prædictæ fidei præpoſitorum, graviſſimis ex cauſis & de ejuſdem Congregationis Cardinalium conſilio, præfato Petro Epiſcopo, cæteriſque Vicariis Apoſtolicis in Tunchino, China, Cocincina, Siamo, aliiſque Sinarum & adjacentium Regionum, Provinciarum, & Regnorum partibus nunc & pro tempore ab eadem Sede deputatis, illorumque Miſſionariis in Sacro Præſbyteratus Ordine conſtitutis, ut quo uſque à dicta Sede aliter declaratum non fuerit, in eiuſdem ſacroſancti Miſſæ ſacrificii celebratione caput contectum pileo tamen non

communi & vulgari quo utuntur passim ordinarie, sed alio hujus sacri mysterii proprio, ejusque coloris cujus sunt paramenta cætera, & si id commodè fieri non poterit, saltem illo, quo uti solent in Prædicatione verbi Dei & aliis Sacris functionibus habere libere & licite possint & valeant, dicta auctoritate tenore præsentium concedimus similiter & indulgemus. Nonobstantibus Apostolicis ac in universalibus Provincialibus & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus & Ordinationibus cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem ut earumdem præsentium litterarum transsumptis seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides habeatur quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ. DATUM Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 23. Decembris 1673. Pontificatus nostri Anno 4.

J. G. SLUSIUS.

*DILECTIS FILIIS Sacerdotibus, Catechistis & Christianis Tunchini ~~& Cocincinæ~~.*

# CLEMENS PAPA X.

DILECTISSIMI filii, salutem, &c. Præcipua enimvero voluptate in Domino nos affecerunt Vicariorum Apostolicorum litteræ, per quas disertè accepimus eximiâ vos cum reverentia hujus S. Sedis mandatis obtemperasse, prædictosque Vicarios Apostolicos tanquam proprios & veros Pastores à fœlic. recor. Alexandro VII. & Clemente IX. Prædecessoribus nostris immediatè missos lubentissime agnovisse. Meritas quocirca filiali in hanc S. Sedem observantiæ vestræ ob præstitam prædictorum Prædecessorum nostrorum Bullis debitam obedientiam laudes rependentes, etiam atque etiam vos hortamur, ut religiosos hosce sensus inviolabiliter animo teneatis, semperque vos Orthodoxæ matri vestræ obsequentes filios exhibeatis. Quia vero ex eisdem Vicariorum Apostolicorum litteris intelleximus, quosdam Catechistas & Christianos hujus S. Sedis voluntati restitisse, nec ipsius man-

datis obtemperare , ſupradictoſque Vicarios Apoſtolicos tanquam Paſtores agnoſcere voluiſſe , anxios ſcilicet hærentes, neſcienteſque quiſnam eſſet verus Paſtor ob dubium generatum per publicationem in Tunchino factam Brevis ab Alexandro VII. anno 1664. P. Marino Societate Jeſu conceſſi, etſi nobis perſuadeamus eos in ejuſmodi renitentia non diu permanſiſſe, agnitáque veritate, ut cæteri fecerunt Chriſtiani, hujus S. Sedis mandatis paruiſſe , Vicarioſque Apoſtolicos tanquam veros & ſolos Paſtores ab hac S. Sede miſſos agnoviſſe. Tamen, ut cuilibet dubio, quod in poſterum renaſci poſſet, occurramus, omnibus Sacerdotibus, Catechiſtis & Chriſtianis notum facimus, prænominatum Alexandrum VII. Prædeceſſorem noſtrum in conceſſione ſuppoſiti Brevis P. Marino, nec-non in favorem aliorum P. Societatis Jeſu factâ nullomodo prætendiſſe , nullatenuſque voluiſſe conceſſam ab hac S. Sede Vicariis Apoſtolicis Sinarum, Tunchini, Cocincinæ & aliorum locorum authoritatem minuere, nihilque ipſorum juriſdictioni detrahere, nec dicto P. Marino cæteriſque Societatis Jeſu P. ullam juriſdictionem ab ipſis Vicariis Apo-

ſtolicis independentem tribuere, ſed ſolummodo prædictum Prædeceſſorem noſtrum per prænominatum Breve in animo habuiſſe, P. Marinum cæteroſque Societatis Jeſu Prædicatores tanquam antiquos Miſſionarios vobis commendare, ut veſtræ ſaluti ſub directione & dependentiâ Vicariorum Apoſtolicorum facilius & utilius incumberent. Quare depoſito omni dubio perſpectæ pietatis veſtræ partes fuerint, abſque metu & anxietate, Vicariis Apoſtolicis eorumque Miſſionariis tanquam veris & ſolis Paſtoribus ab hac S. Sede ad veſtram ſalutem procurandam, voſque ad eandem aſſequendam bene dirigendos immediatè miſſis parere, ipſorumque monitis fidem dare. Quod ſi (quod Deus avertat) aliqui inter vos fuerint, qui aliter vobis perſuaſerint voſque à debita huic S. Sedi, Vicariiſque Apoſtolicis obedientiâ avertere ſtuduerint; ſcitote nullatenus ipſis à vobis præbendas aures; ſed potius tanquam hujus S. Sedis voluntati rebelles habendos ac rejiciendos eſſe. Agite vero unicè in Domino, dilecti filii, adverſus perſecutionum procellas, induite vos armaturâ fidei, memores eſtote non niſi legitime certantibus repoſitam eſſe coronam, nec pro-

missam æternam salutem nisi illis, qui usque in finem perseveraverint. Vestros ubi ob oculos talia posueritis, hujus S. Sedis expectationi utique responderitis, quæ de vestrâ salute adeo sollicita est, ut ad eandem procurandam Episcopos atque operarios suos per innumera penè marium ac Terrarum incommoda ad vos misit, animarumque vestrarum lucrum præcipua inter incrementa reponit. Propitium interim faventemque bonorum omnium Authorem Deum vobis, Dilecti filii enixè precamur atque Apostolicam Benedictionem ex omni cordis nostri sensu impertimur. DATUM Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 10. Novembris 1673. Pontificatus nostri anno 4.

*PRO CHRISTI FIDELIBVS ac Catechistis in partibus Sinarum, Indulgentia Plenaria in duobus Festis SS. Ioseph & Francisci Xaverii, & die admissionis ad Officium Catechistarum ad quindecim annos.*

# CLEMENS PAPA X.

*Ad futuram rei memoriam.*

AD augendam fidelium Religionem & animarum salutem cœlestibus Ecclesiæ thesauris pia charitate intenti: Omnibus & singulis utriusque sexus Christi fidelibus curæ Venerabilium Fratrum Episcoporum, Vicariorum Apostolicorum in partibus Sinarum, aliisque vicinis Regnis, Regionibus & locis à Sede Apostolica deputatorum commissis, vere pœnitentibus, & confessis ac sacra communione refectis qui aliquam Ecclesiam, Capellam, vel Oratorium à prædictis Vicariis Apostolicis, seu eorum pro-Vicariis designandam vel designandum in sancti Josephi & sancti Francisci Xaverii Festis diebus à primis Vesperis, usque ad occasum solis Festorum hujusmodi, annis sin-

gulis devote visitaverint, & ibi pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, ac S. Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, quo die prædictorum id egerint, plenariam; ac Catechistis in illis partibus prima die eorum admissionis ad Officium Catechistarum hujusmodi per eosdem Vicarios Apostolicos, seu eorum Pro-Vicarios faciendæ, qui similiter vere pœnitentes & confessi, ac sacra Communione refecti oraverint, ut præfatur, itidem plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concedimus. Præsentibus ad quindecim annos tantum valituris. Volumus autem quod si pro impetratione, præsentatione, admissione, seu publicatione præsentium aliquid, vel minimum detur, aut sponte oblatum recipiatur, præsentes nullæ sint eo ipso. DATUM Romæ apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris, die 23. Decembris 1673. Pontificatus nostri anno quarto.

J. G. Slusius.

## *PRO EPISCOPIS VICARIIS Apoſtolicis apud Sinas.*

*Exemptio à Iuriſdictione Ordinariorum.*

# CLEMENS PAPA X.

*Ad futuram rei memoriam.*

IN Apoſtolicæ dignitatis faſtigio cum poteſtatis plenitudine à Domino conſtituti, ad ea per quæ Catholicæ Fidei, Chriſtianæque Religionis propagatio, præſertim in remotiſſimis ab hac S. Sede partibus fidelium Operariorum in vinea Domini ſtrenue laborantium ſtudiis per Dei gratiam ad optatum finem perduci valeat propenſis ſtudiis intendimus, & Paſtoralis Officii noſtri partes paterna charitate deſuper interponimus, ſicut ad Omnipotentis Dei gloriam & animarum ſalutem expedire in Domino arbitramur. Itaque contentiones quæ inter Venerabiles Fratres Epiſcopos Vicarios Apoſtolicos apud Sinas ab hac S. Sede Apoſtolicâ deputatos, & Ordinarios Indiarum aliarumque Orientalium partium oriri poſſent è medio tollere cupientes,

de particularis Congregationis Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis propagandæ fidei præpositorum super rebus Sinarum deputatæ consilio, eosdem Vicarios Apostolicos ab omnimoda Jurisdictione omnium Ordinariorum in Provinciis sibi assignatis auctoritate Apostolica tenore præsentium eximimus ac plenarie liberamus, ac exemptos, liberatos dictæque Jurisdictioni minime obnoxios esse & fore decernimus & declaramus, reservata tamen dictæ Congregationi Cardinalium facultate aliter decernendi. Decernentes easdem præsentes litteras, firmas, validas & efficaces existere & fore, suosque plenarios & integros effectus sortiri & obtinere, ac Vicariis Apostolicis prædictis in omnibus & per omnia plenissime suffragari, ac ab illis ad quos spectat & spectabit in futurum inviolabiliter & inconcusse observari. Sicque & non aliter in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, & alios quoslibet quacumque præeminentia & auctoritate fungentes & functuros, sublata eis & eorum cuilibet aliter judicandi & interpretandi facultate & auctoritate, judicari & definiri

debere, ac irritum & inane si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Nonobstantibus Apostolicis ac in Universalibus Provincialibusque ac Synodalibus Conciliis, Editis generalibus vel specialibus Constitutionibus & Ordinationibus; nec-non quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, Privilegiis quoque, Indultis & litteris Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis & innovatis. Quibus omnibus & singulis illorum tenores præsentibus pro plene & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice duntaxat specialiter & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem ut earumdem præsentium litterarum transsumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, ac sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides in Judicio & extra illud ubique habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus si forent exhibitæ vel ostensæ. DATUM Romæ

apud S. Mariam Majorem ſub annulo Piſcatoris, die 7. Junii 1674. Pontificatus noſtri anno quinto.

J. G. Slusius, cum ſigillo.

*PRÆCEPTUM EPISCOPIS Indiarum & aliarum partium Orientis, ac Regularibus eorumque Superioribus ſuper ſtricta obſervantiâ Conſtitutionum Apoſtolicarum & Decretorum Congregationis de propaganda Fide,*

# CLEMENS PAPA X.

*Ad futuram rei memoriam.*

QUONIAM ea quæ ex ſolita hujus S. Sedis Apoſtolicæ rectitudine atque æquitate provide ſapienterque emanarunt, & in dies prout juſtitiæ ratio exigit & propagandæ ſolidandæque Fidei Catholicæ ſuadet utilitas pie prudenterque emanant, ab omnibus Chriſti fidelibus, & præſertim à Catholicis Antiſtibus in partem ſollicitudinis Apoſtolicæ vocatis, ac ab illis, qui votorum religioſorum nexu Dei Eccleſiæque obſequiis arctius devincti ſunt, inviolabiliter obſervari oportet: Nos, quibus licet immeritis & tanto oneri imparibus Eccleſiæ ſuæ ſanctæ curam commiſit Altiſſimus, debitæ Apoſtolicorum decretorum obſervationi, quantum nobis ex alto conceditur, providere cu-

pientes, de particularis Congregationis Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium negotiis propagandæ Fidei præpoſitorum ſuper rebus Sinarum deputatæ conſilio, Venerabiles Fratres Epiſcopos Indiarum aliarumque partium Orientalium, harum ſerie paterne monemus, eiſque ac etiam Regularium Superioribus, & eiſdemmet Regularibus, etiam Societatis Jeſu, auctoritate Apoſtolica in virtute ſanctæ obedientiæ præcipimus & mandamus, ut omnes Conſtitutiones Apoſtolicas & decreta Congregationis eorumdem Cardinalium ſub pœnis arbitrio ejuſdem Congregationis imponendis quoad omnes, & quoad Regulares, etiam Societatis Jeſu, eorumque Superiores præfatos, etiam privationis vocis activæ & paſſivæ ipſo facto incurrendæ ſtricte ac inconcuſſe & inviolabiliter obſervent. Decernentes præſentes litteras ſemper firmas, validas & efficaces exiſtere & fore, ſuoſque plenarios & integros effectus ſortiri & obtinere, ſicque & non aliter in præmiſſis per quoſcumque Judices ordinarios & delegatos, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, alioſque quoſlibet quacumque præeminentia & poteſtate fungentes &

functuros, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari & definiri debere, ac irritum & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari. Nonobſtantibus Apoſtolicis ac in Univerſalibus Provincialibus, & Synodalibus Conciliis, Editis generalibus, vel ſpecialibus Conſtitutionibus & Ordinationibus; nec-non, quatenus opus ſit, dictæ Societatis Jeſu, aliarumque Congregationum & Ordinum quorumcumque & aliis quibuſlibet etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, Statutis, & Conſuetudinibus, Privilegiis quoque indultis, & litteris Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus & ſingulis illorum tenores præſentibus pro plene & ſufficienter expreſſis & de verbo ad verbum inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris ad præmiſſorum effectum hac vice duntaxat ſpecialiter & expreſſe derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem, ut earumdem præſentium tranſſumptis ſeu exemplis, etiam impreſſis, ma-

nu alicujus Notarii publici ſubſcriptis & ſigillo perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides in judicio & extra illud ubique habeatur, quæ haberetur ipſis præſentibus, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. DATUM Romæ apud S. Mariam Majorem ſub annulo Piſcatoris, die 7. Junii 1674. Pontificatus noſtri anno quinto.

J. G. Slusius, cum ſigillo.

## *PRO EPISCOPIS ET VICARIIS Apostolicis in partibus Orientalibus.*

*Extentio Constitutionis Vrbani VIII. ad impedientes exercitium eorum Iurisdictionis, &c.*

# CLEMENS PAPA X.

*Ad futuram rei memoriam.*

CUm dudum fœl. rec. Urbanus PP. VIII. Prædecessor noster, per quasdam suas in simili formâ Brevis litteras, die 22. Februarii 1633. emanatas, quarum initium est (Ex debito, &c.) in quibus super Missionibus Religiosorum ad Japoniam & alia Regna Indiarum Orientalium multa salubriter constituit, quoscumque Ecclesiasticos & Religiosos cujuscumque Ordinis & Instituti tàm non Mendicantium, quàm Mendicantium, etiam Societatis Jesu, & Sæculares, Religiosorum mittendorum ad Insulas, Provincias, Regiones & Regna earumdem Indiarum accessum impedientes excommunicationis latæ sententiæ vinculo innodavit, & alias, prout in eisdem litteris,

quarum tenorem præſentibus pro plene & ſufficienter expreſſo, ac de verbo ad verbum inſerto haberi volumus, plenius continetur. Et ſicut pro parte Venerabilium Fratrum Epiſcoporum & Vicariorum Apoſtolicorum in partibus Orientis commorantium nobis nuper expoſitum fuit, nonnulli propriæ ſalutis immemores, ipſorum Epiſcoporum & Vicariorum Apoſtolicorum Juriſdictionem, ſeu illius exercitium impedire audeant, ſeu præſumant. Nos ejuſmodi temeritatem opportuna ſanctione cohibere, dictoſque Epiſcopos & Vicarios Apoſtolicos ſpeciali favore proſequi, ac in piis ſalubribuſque eorum ſtudiis ad Dei gloriam & Chriſtianæ Religionis Catholicæque Fidei incrementum paterno affectu confovere cupientes, & eorum ſingulares perſonas à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris & pœnis, à jure vel ab homine quavis occaſione vel earum latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt ad effectum præſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes & abſolutas fore cenſentes, ſupplicationibus eorum nomine nobis ſuper hoc humiliter porrectis

inclinati: de particularis Congregationis Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis propagandæ fidei præpositorum super rebus Sinarum deputatæ consilio, præfatas Urbani Prædecessoris litteras etiam contra impedientes exercitium Jurisdictionis dictorum Vicariorum Apostolicorum, eorumque operariorum in Provinciis sibi à S. Sede assignatis, auctoritate Apostolica tenore præsentium extendimus & ampliamus. Decernentes easdem præsentes litteras semper firmas, validas, & efficaces existere & fore, suosque plenarios & integros effectus sortiri & obtinere, ac ab illis ad quos spectat & pro tempore spectabit, inviolabiliter & inconcusse observari; sicque & non aliter in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores aliosve quoslibet quacumque præeminentia & potestate fungentes & functuros, sublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate & auctoritate, judicari & definiri debere, ac irritum & inane si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Nonobstantibus Constitu-

tionibus & Ordinationibus Apoſtolicis; nec-non omnibus & ſingulis illis quæ memoratus Urbanus Prædeceſſor in ſuis ſupradictis litteris voluit non obſtare, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem ut earumdem præſentium litterarum tranſſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis ac ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides in judicio & extra adhibeatur, quæ ipſis præſentibus adhiberetur ſi forent oſtenſæ vel exhibitæ. DATUM Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die 8. Junii 1674. Pontificatus noſtri anno quinto.

J. G. SLUSIUS, cum Sigillo.

BREVE.

# BREVE,

*QVO PROHIBETVR Missionariis cujuscunquè Ordinis, &c. imprimere libros tractantes de materia Missionis sine approbatione sacræ Congregationis de propaganda Fide.*

## CLEMENS PAPA X.

*Ad perpetuam rei memoriam.*

CReditæ nobis cœlitus Apostolicæ servitutis ratio postulat, ut si quos abusus in Ecclesiâ Dei pullulare atque invalescere noscamus, eos opportunæ Sanctionis sarculo recidere atque è medio tollere studeamus. Cum itaque, sicut accepimus, licet alias Congregatio venerabilium Fratrum nostrorum sanctæ Romanæ Eccclesiæ Cardinalium justis de causis vetuisset, ne quis sine ipsius licentiâ typis evulgaret libros & scripta, in quibus aliquo pacto de Missionibus ageretur; nihilominus multi, vel ignari quid eadem Congregatio decreverit, vel temerè ejus decretum transgredientes, scripta edant & libros sæpè falsa & inepta continentes, non sine piorum & doctorum hominum offensione. Nos

his aliiſque gravibus cauſis adducti de memoratorum Cardinalium conſilio, authoritate Apoſtolicâ tenore præſentium iterum prohibemus, ne quis cujuſcumque ſtatus, gradus, & conditionis, etiam Regularis cujuſvis Ordinis, Congregationis, inſtituti, & Societatis etiam Jeſu, licet is eſſet de quo ſpecifica & individua mentio facienda foret, ſine licentiâ in ſcriptis Congregationis eorumdem Cardinalium, quam in Operis initio imprimere teneatur, libros & ſcripta in quibus de Miſſionibus, vel de rebus ad Miſſiones pertinentibus agitur, per ſe, vel per alium edat, ſub excommunicationis latæ ſententiæ, à quâ nemo à quoquam præterquam à nobis, ſeu Romano Pontifice pro tempore exiſtente, niſi in mortis articulo conſtiturus abſolvi poſſit, ac privationis Officii, ac vocis activæ & paſſivæ, nec-non Operum ſuppreſſionis pœnis ipſo facto incurrendis. Hoc autem denuntiari volumus omnibus & ſingulis Superioribus Generalibus cujuſvis Ordinis, Congregationis, inſtituti, & Societatis etiam Jeſu, qui ſub iiſdem pœnis & ipſi præſentes litteras ſervent, & à ſubditis ſuis curent omnino ſervari. Ac præcipimus ſub pœnâ privationis vocis activæ & paſſivæ, ut quoli-

bet anno teneantur Superiores prædicti easdem præsentes litteras, sive earum tenorem in Capitulis legere, seu legi curare; ne aliquis sub prætextu ignorantiæ se excusare possit. Decernentes ipsas præsentes litteras semper firmas, validas & efficaces existere & fore, suosque plenarios & integros effectus sortiri & obtinere, nec de subreptionis vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, aut interesse habentium, seu habere prætendentium consensus, aliove quolibet, etiam quantumvis magno & substantiali, ac individuam expressionem requirente defectu notari, impugnari, infringi, retractari, aut in controversiam vocari, seu ad terminos juris reduci ullo modo posse. Sic & non aliter in præmissis per quoscumque judices Ordinarios, & Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici ac sanctæ Romanæ Ecclesiæ prædictæ Cardinales, etiam de latere Legatos & Apostolicæ Sedis Nuntios, aliosve quoslibet quacumque præeminentiâ & potestate fungentes & functuros, sublatâ eis & eorum cuilibet quâvis aliàs judicandi & interpretandi facultate & authoritate, judicari & definiri debere; ac irritum & inane, si secus super his à quoquam qua-

vis authoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari. Nonobſtantibus Apoſtolicis, ac univerſalibus, principalibuſque & Synodalibus Conciliis editis, generalibus vel ſpecialibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus; nec-non quorùmcumque Ordinum, Congregationum, Inſtitutionum, & Societatum, etiam Jeſu, aliiſve quibuſvis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, ſtatutis, & Conſuetudinibus etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, Indultis, & litteris Apoſtolicis, prædictis Ordinibus, Congregationibus, Inſtitutis, & Societatibus, etiam Jeſu, illorum Superioribus & perſonis, aliiſve quibuſlibet ſub quibuſcumque verborum tenoribus & formis, ac cum quibuſvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus efficaciſſimis & inſolitis clauſulis, irritantibuſque & aliis decretis in genere, vel in ſpecie, ſeu alias quomodolibet in contrarium præmiſſorum conceſſis, confirmatis, & etiam pluries approbatis, & innovatis. Quibus omnibus & ſingulis; etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, & expreſſa, ac individua, ac de ver-

bo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil pœnitus omisso, & forma in illis tradita observata exprimerentur & insererentur, præsentibus pro plenè & sufficienter expressis & insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice duntaxat specialiter & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut earumdem præsentium litterarum transsumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiasticâ dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides in judicio, & extra illud habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent ostensæ vel exhibitæ. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 6. Aprilis 1673. Pontificatus nostri anno tertio.

J. G. Slusius.

# CLEMENS PAPA IX.

*Ad futuram rei memoriam.*

CVM (ſicut accepimus) civitas Juthia, vulgò Siam, ſit præcipuum emporium totius Regni Siam; & ad illam ſit continuus concurſus diverſarum Nationum tàm vicinarum, quàm longinquarum, quibus Rex dicti regni, ut ad illam libentiùs confluant & ibidem ſecurius commorentur, liberum Religionis & Sectarum quarumlibet exercitium conceſſit; & ſicut Venerabiles Fratres Epiſcopi Vicarii Apoſtolici ad Regna Sinarum; Tunchen, & Cocincinæ deſtinati Nobis exponi fecerunt, ipſi ob arduas difficultates ingrediendi fines ſuorum Vicariatuum ſedem in dicta civitate intereà fixerint, Eccleſiam ſeu Capellam ibidem erexerint, & in converſionem Infidelium tàm ſuorum Vicariatuum, quàm aliarum Nationum incubuerint, Seminarium quoque inſtituerint, cupiantque propterea Epiſcopo Metellopolitano Vicario Apoſtolico, apud Sinas conſecrato, ſeu mox conſecrando, extenſionem adminiſtrationis ſui Vicariatus ad dictum Regnum Siam;

& civitatem Juthienſem à Nobis benignè concedi. Nos eorumdem Vicariornm Apoſtolicorum votis hac in re quantum cum Domino poſſumus, favorabiliter annuere volentes, & eorum ſingulares perſonas à quibuſvis excommnicationis, ſuſpenſionis & interdictionis, aliiſque Eccleſiaſticis Sententiis, Cenſuris, & pœnis, à jure vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt ad effectum præſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes, ſupplicationibus eorum nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, de Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium negotiis propagandæ fidei prępoſitorum, qui hæc omnia, aliaque ponderarunt, & accuratè perpenderunt conſilio, memorato Epiſcopo Metellopolitano adminiſtrationem ſui Vicariatus ad Regnum Siam & civitatem Juthienſem hujuſmodi auctoritate Apoſtolica tenore præſentium extendimus quouſque ingredi in Sinas idem Epiſcopus Metellopolitanus potuerit cum obligatione tamen dictum ingreſſum diligenter procurandi; & eo caſu facultatem quoque eidem concedimus, Provicarium ibi-

dem constituendi, donec aliter per Sedem Apostolicam provisum fuerit. Decernentes easdem præsentes litteras firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & spectabit in futurum plenissimè suffragari; sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Nonobstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, nec non quibusvis etiam juramento, Confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & litteris Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plenè & sufficienter expressis, & ad verbum insertis habentes illis aliàs in suo robore præmansuris ad præmissorum effectum hac vice duntaxat specialiter & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. DATUM Romæ apud

S. Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris die 4. Julii 1669. Pontificatus nostri anno tertio.

J. G. Slusius.

# CLEMENS PAPA IX.

*Ad futuram rei memoriam.*

UT Venerabiles Fratres Episcopi Vicarii Apostolici apud Sinas, ac in Tunchino, & Cocincina respectivè auctoritate Apostolica instituti, & deputati injuncta sibi munera ad Christi fidelium illarum partium utilitatem adjuvante Domino facilius exequi valeant, ex commissi Nobis cœlitus sacrosancti Apostolatus Officio providere volentes, eisdem Episcopis, Vicariis Apostolicis cum Neophytis suorum respectivè Vicariatuum quocumque, seu quibusvis (non tamen primo) consanguinitatis, vel affinitatis gradibus, vel aliàs conjunctis, seu se attinentibus, ut matrimonium inter se contrahere, seu in eo etiam scienter contracto remanere valeant, auctoritate nostra Apostolica gratis tamen dispensandi, & eos qui in gradibus prohibitis hujusmodi matrimonium etiam scienter contraxerint, ab excessibus, & excommunicationis, aliisque censuris & pœnis Ecclesiasticis ea de causa incursis in utroque foro gratis pariter absolvendi, ac prolem indè

ſuſceptam, & ſuſcipiendam legitimam decernendi, facultatem ad viginti annos tantùm duraturam quam ipſi Epiſcopi Vicarii Apoſtolici ſuis reſpectivè Provicariis ſecundum datam ſibi à Domino prudentiam communicare poſſint, dicta auctoritate tenore præſentium concedimus, & impartimur. Nonobſtantibus Apoſtolicis, ac in univerſalibus Provincialibuſque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus vel ſpecialibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, ſub Annulo Piſcatoris, die 11. Julii 1669. Pontificatus noſtri anno tertio.

J.G. Slusius.

# SERENISSIMO REGI SIAM.

## CLEMENS PAPA IX.

SERENISSIME REX, Salutem & lumen divinæ gratiæ. Inclitum istud Regnum favoris, Celsitudinis Tuæ temporibus spectatissimè florere libenter audimus; Quin eximio voluntatis studio Justitiam, Clementiam, & alias Regii animi virtutes amplectimur, quibus constantis famæ testimonio, Christianæ Fidei cultoribus, & religiosæ pietatis instituta profitentibus, nedum æquum te præbere, sed etiam favere didicimus. Harum equidem egregiarum laudum in hac Urbe insignis præco præ cæteris nuper extitit Venerabilis Frater Episcopus Heliopolitanus, quem Nos æternæ salutis universarum Gentium procurandæ zelo ferventem volentem, & postulantem isthuc in præsenti remittimus. Is enim, præter alia præclara, quâ potentiæ viriumque tuarum, quâ mentis præcelsæ decora, rem nobis maximè gratam & acceptam enarravit,

Siquidem asseruit à Celsitudine Tuâ Venerabili Fratri Episcopo Berythensi atque sibi concessum fuisse solum & materiem Ecclesiæ, domusque construendæ, aliasque non obscuras præcipuæ benignitatis animique propensi significationes impertitas, qualibus homines nostri (quamvis multo adhinc tempore aditum in Regiam Civitatem istam habuerint) nunquam antea frui consueverint. Sacros igitur hos ambos Præsules & cæteros in Provinciis tuis Catholicæ Religionis nostræ viros, authoritate, justitia & clementiâ tuâ ab inimicorum & improborum hominum injuriis defendi, ac omnibus in rebus protegi, & juvari summopere petimus. Idem Episcopus Heliopolitanus exigua munera quædam, sed ingentis erga te benevolentiæ ac existimationis nostræ pignora, reddet; Testabitur etiam quàm enixis & assiduis precibus adeamus omnipotentem Deum, ut Celsitudinem Tuam (veritatis divinæ luce planè cognitâ) diu in terris, & æternum in cœlo regnare velit. Quod nunc etiam ab ejus infinitâ bonitate & misericordiâ, toto ex corde flagitare non desinimus. DATUM Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, 24. Augusti 1669. Pontificatus nostri anno tertio.

# QUÆSITA MISSIONARIORUM CHINÆ SEU SINARUM

S. Congregationi de progaganda Fide exhibitæ, cum responsis ad ea.

*Decreto ejusdem Sacræ Congregationis approbatis.*

INFRA-SCRIPTÆ propositiones à sacra Congregatione de propaganda Fide ad sanctum Officium transmissæ fuerunt à Patribus qualificatoribus ejusdem sancti Officii qualificatæ ut suprà.

1. Utrum Christiani Sinenses sint obligandi ad obsetvantiam juris positivi, quantum ad jejunia, confiteri semel in anno, communicare, festa servare eo modo quo obligantur Indi in nova Hispania, & in Insulis Philipinarum juxta dispositionem Papæ Pauli III. pto Indis Occidentalibus & Meridionalibus.

Censuerunt Jus positivum Ecclesiasticum de jejuniis absolutè obligare Chinenses Christianos, & à Missionariis hoc esse illis enuntiandum: attenta vero Regionum

& perſonarum qualitate , locum eſſe ſi Sanctiſſimo placuerit, diſpenſationi, quæ fuit alias à fœlicis recordationis Paulo III. Indis conceſſa, qua obtenta ſatagant Miſſionarii ſanctæ Matris Eccleſiæ pietatem illis patefacere, quibus ea quæ univerſim indixit magna ex parte benignè remittit & indulget.

Cenſuerunt etiam præfatos Chinenſes obligari ad ſacramentalem Confeſſionem ſemel in anno & Miſſionarios hujuſmodi obligationem debere eis notificare.

Idem prorſus cenſuerunt quoad ſacram Communionem ſemel in anno ſumendam, quò vero ad executionem tempore ſtatuto, hoc eſt in Paſchate id eſſe intelligendum, niſi legitimum adſit impedimentum aut grave periculum immineat. Curandum tamen ut infra duos vel tres menſes, ante vel poſt, Paſchati proximos, quatenus ſine diſcrimine fieri poſſit, ſin minus alio quovis tempore infra decurſum unius anni à Paſchate inchoandi omnino communicent.

Demum cenſuerunt Chinenſes ad fidem converſos teneri omnino Feſta ſervare, Miſſionarios etiam teneri hoc eis notificare, locum tamen eſſe, ſi Sanctiſſimus annuat, limitandi eis numerum dierum

Festorum, juxta formam privilegii à Paulo III. Indis concessi.

2. Utrum in prædicto Regno ministri Evangelici pro nunc saltem in sacramento Baptismi possint abstinere ab imponendo mulieribus oleum sanctum Catechumenorum, sputum in auribus & sal in ore, insuper & non administrare eisdem mulieribus sacramentum Extremæ-unctionis: & ratio dubitandi est; quia Chinenses magno zelo ducuntur erga uxores, filias, & alias mulieres & scandalum sument ex hujusmodi actionibus.

Censuerunt & sacramentalia in Baptismo mulierum esse adhibenda, & Extremam-unctionem esse mulieribus conferendam, nec sufficere motivum in dubitatione expressum ut Missionarii quantum in se est ab his abstineant. Curandum ergo ut tam salubres ritus & cæremoniæ introducantur & observentur, ac Missionarii tali circunspectione illa administrent, hominesque talibus instruant documentis, ut ab omni suspicione inhonestatis liberentur.

3. In præfato Regno lege stabilitum est ut in mutuo triginta pro centum accipiantur absque respectu lucri cessantis aut damni emergentis. Quæritur utrum Chi-

nensibus sit licitum pro pecuniarum suarum mutuo, licet non interveniat lucrum cessans aut damnum emergens prædictam, pro centum triginta quantitatem lege Regni taxatam accipere: Et causa dubitationis est, quia in recuperanda pecunia est aliquod periculum, scilicet quod qui accipit mutuatum, fugiat vel quod tardet in solvendo, vel quod necessarium sit coram Judice repetere. vel propter alia hujusmodi.

Censuerunt ratione mutui immediatè & præcisè nihil esse accipiendum ultra sortem principalem; si vero aliquid accipiant ratione periculi probabiliter imminentis, prout in casu non esse inquietandos, dummodo habeatur ratio qualitatis, periculi & probabilitatis ejusdem ac servata proportioue inter periculum, & id quod accipitur.

4. In universo Chinarum regno domus publicas usuris deputatas res est usitata, in quibus usurarii publici facto sub pignorum cautione pecuniam suam sumpto lucro ad usuram dare solent, ea tamen conditione ut pro uno ducato singulis tantum mensibus quid accipiant, & si tantis elapsis annis pignorum Dominus pro iisdem recuperandis pignoribus soluta prin-

cipali pecunia cum lucro non redierit, actionem & Dominium, quod habebat in suis pignoribus illico amittat. Istæ autem domus reipublicæ necessariæ sunt, & quamvis usurarii vitam usurariam dimittere velint, à non desistendo à prædictis usuris Judicis authoritate compelluntur.

Quæritur utrum si hujusmodi usurarii converti velint ad fidem, possint baptizari manendo in suo statu usurario propter causam supradictam; vel quidnam in tali casu agendum sit.

Censuerunt Chinenses in statu usurario permanentes baptizari non posse, si vero Judicis authoritate compellantur ad proprias pecunias mutuandas, posse aliquid accipere etiam recepto pignore ultra sortem principalem, tum ratione oneris quod subire coguntur, tum ratione curæ in custodia pignorum, lucri quoque cessantis & damni emergentis, tempore autem præstituto, si ex venditione pignorum aliquid supersit sorti principali & lucro ex causis prædictis justè acquisito, Domino pignoris esse restituendum.

5. Utrum prædictorum usurariorum filii, si quando in hæreditatibus eorum succedunt jam Christiani existunt, tenean-

tur ad reſtitutionem eorum, quæ pater ex uſuris accepit in toto vel in parte, juxta male acceptorum exceſſum, & ſi hujuſmodi uſurariorum filii hæredes jam Chriſtiani à reipublica vel à judice compellantur ad publicas uſurarum domus patrum aperiendas & ſuſtentandas, quid in hoc caſu miniſtri Evangelici pro ſanandis iſtorum conſcientiis facere debent.

Cenſuerunt filios hæredes uſurariorum teneri à Patribus ex uſuris illicitè acquiſita reſtituere certis quidem Dominis, ſi certi ſint, ſin minus juxta regulas à Doctoribus traditas, actualem vero reſtitutionem à doctis, piis, & prudentibus viris eſſe dirigendam. Quoad ſecundam partem hujus dubitationis jam reſponſum eſt in ſuperiori reſolutione.

6. In populis & civitatibus illius Regni mos eſt imponendi quaſdam diſtributiones quæ à populis vicinis exiguntur, ut in Paſcha novi anni, in ſacrificiis & dæmoniorum ſuorum idololatriis & invitationibus ac conviviis in eorumdem templis præparatis ſimulque in feſtivitatibus, aliiſque indifferentibus pro populi lætitia demonſtrationibus expendantur. Quæritur utrum Chriſtianis ac Miniſtris eorum

à quibus etiam tanquam à populis vicinis exiguntur, licitum ſit pro nunc ſaltem pro hujuſmodi rebus contribuere; nam ſi Chriſtiani ad hoc non contribuerint, aliquis tumultus contra Chriſtianos inter Gentiles fiet.

- Cenſuerunt poſſe Chriſtianos Chinenſes pecunias contribuere, dummodo per hujuſmodi contributiones non intendant ad actus Idololatricos concurrere ſuppoſita cauſa quæ narratur in dubio, præſertim præmiſſa ſi commodè fieri poteſt proteſtatione, quod impoſita tributa præſtant in ordine tantum ad populi lætitiam, & ad actus indifferentes, vel ſaltem cultui Religionis Chriſtianæ non repugnantes.

7. In omnibus illius Regni Civitatibus & Villis templa cuidam Idolo, Chin hoam dicto erecta ac dicata reperiuntur, quod fingunt Sinenſes eſſe protectorem regentem & cuſtodem Civitatis, ſtabilitaque regni lege ordinantur, ut omnes gubernatores Civitatum & Villarum quos mandarinos vocant, quando regiminis poſſeſſionem aſſumunt, & anni decurſu bis in menſe ſub pœna privationis ab officio templa adeant præfata, ibique ante dicti Idoli altare proſtrati genibus flexis,

capite uſque ad terram inclinato Idolum illud adorent ac venerentur, eidem candelas, odoramenta, flores, carnes, vinumque in ſacrificium offerant, & cum ſui regiminis poſſeſſionem accipiunt ante prædictum idolum jurant de rectè administrando, & ſi contra fecerint ſe ſubmittunt ſupplicio ab idolo infligendo, ſimulque ab illo petunt modum & normam bene gubernandi, & alia hujuſmodi.

Quæritur utrum attenta iſtius gentis fragilitate tolerari poſſit pro nunc quod tales Gubernatores Chriſtiani deferant quandam Crucem, quam occultè inter altaris idoli flores, vel in manibus propriis reponant, & facere, intentione non ad idolum, ſed ad crucem directâ omnes illas genuflexiones, reverentias & adorationes ante altare illud exterius tantum & fictè omnem cultum interius & in corde ad crucem dirigendo, quia ſi hujuſmodi Gubernatores cogantur ad hoc non faciendum, prius apoſtatabunt à fide quam relinquant officium regiminis.

Cenſerunt nullatenus licere Chriſtianis hujuſmodi actus publicos, cultûs aut reverentias tribuere idolo prætextu vel intentione crucis, quam vel manu geſtant, vel in altari inter flores abſcondunt.

8. In prædicto Regno habent Chinenses quemdam Magistrum in Philosophia morali litteratum, qui olim discessit à vita vocatum Cum fû-Cû, qui ob doctrinam, regulas, documenta adeo in toto Regno acceptus est, ut tam Reges quam omnes alii cujuscumque conditionis & gradus sint, eum sibi proponant imitandum & sequendum saltem quo ad speculativûm & tanquam sanctum venerantur & laudant, in omnique Civitate & Villa præfato magistro templa sunt erecta: Gubernatores vero bis in anno tenentur in ejus templo solemne sacrificium offerre, Sacerdotis ipsimet gerentes officium, & sine solemnitate in anni decursu bis in mense, concurruntque cum illo aliqui ex litteratis pro administratione eorum, quæ in tali sacrificio offerunt, quæ quidem sunt sus unus integer mortuus, capra una integra, candelæ, vinum, flores, odores. Item omnes litterati quando accipiunt gradum debent ingredi templum istius magistri, & facere genuflexiones, & offerre ante ejus Altare ex candelis & odoribus. Totus iste cultus, sacrificium & reverentia secundum omnium illarum gentium formalem intentionem dirigitur in gratiarum actionem pro bonæ ipsius relictis doctrinæ

documentis, atque ut ab eo impetrent ex ipsius meritis optimi ingenii fœlicitatem, sapientiæ & intellectus.

Quæritur utrum Gubernatores qui Christiani sint vel fuerint, & litterati, vocati & coacti possint ingredi præfatum templum, facere tale sacrificium, vel assistere hujusmodi sacrificiis, vel facere genuflexiones ante illud, vel accipere aliquid de idolotitis, & oblationibus illis, maxime quia putant illi infideles, quod quicumque manducaverit ex talibus idolotitis habebit progressum magnum in suis litteris & gradibus, & si portantes Crucem in manibus possint licitè hoc facere, eo modo quo dubitationi superiori dictum est, quia si hoc illis prohibetur, erit tumultus in populo, Ministri Evangelici in exilium mittentur, conuersio animarum impedietur & extinguetur.

Censuerunt non licere, nec posse aliquo prætextu contento in dubio Christianis permitti.

9. Inviolabilis observantiæ mos est apud Chinenses tanquam doctrina à supradicto Magistro Cum, Fû, Cû, tradita quod in omnibus Chinæ populis templa constructa habeant avis & progenitoribus suis defunctis dicata, & in unoquoque

que eorum ; omnes qui ejuſmodi familiæ ſunt, bis in anno congregantur ut præfatis ſuis progenitotibus ſolemnia ſacrificia faciant magno cæremoniarum apparatu, & in Altari multis candelis, floribus & odoribus adornato imaginem ſive effigiem parentis, vel avi defuncti collocant, in quo ſacrificio invenitur, & qui facit Sacerdotis officium & Miniſtri illius, offeruntque carnes, vinum, candelas, odoramenta, capita caprarum. Hoc autem ſacrificium ex communi illarum gentium intentione dirigitur, ut præfatis eorum progenitoribus gratias reddant, honorem & reverentiam exhibeant ob beneficia ab eis accepta, & ob illa quæ ab eis accipere ſperant: unde ante altare proſtrati deprecationes multas faciunt, poſtulantes ſanitatem, longam vitam, abundantiam fructuum, filiorum multiplicationem, proſperitatem magnam, & ut ab omnibus adverſitatibus liberentur. Quod quidem ſacrificium in domibus ſuis & in ſepulchris mortuorum etiam fit, minore tamen ſolemnitate.

Quæritur utrum Chriſtiani fictè & exterius tantum ut ſupradictum eſt, poſſint aſſiſtere hujuſmodi ſacrificio, vel exercere aliquod miniſterium in illo cum

Infidelibus commixti ſive in templo, ſive in domo vel ſepulchro, publicè vel privatim, vel quônam modo hoc poterit permitti Chriſtianis illis, nè ſi omninò prohibeantur hoc facere, fidem perdant, (vel ut melius dicam) avertant ſe ab actionibus exterioribus Chriſtianorum.

Cenſuerunt Chriſtianis Chinenſibus nullatenus licere fictè vel exterius aſſiſtere ſacrificiis in honorem progenitorum neque eorum deprecationibus, aut quibuſcumque ritibus ſuperſtitioſis Gentilium erga ipſos, multò minus licere circa præfata miniſterium aliquod exercere.

10. Chinenſes Chriſtiani aſſeverant quod in oblationibus ſupradictis ſolummodo intendunt progenitoribus ſuis defunctis illam exhibere reverentiam & illa offerre, ac ſi iiſdem viventibus exhiberentur, & in memoriam tantum ac reverentiam progenituræ & generationis, & ſi illi vivi extitiſſent, eadem illis præſentarent ut illis oblatis veſcerentur, vel ſuſtentarentur, & ea offerunt abſque alia intentione, vel rogativarum ſpe cum ſciant illos mortuos eſſe earumque animas in inferno ſepultas.

Quæritur utrum ſi hæc inter Chriſtianos tantummodo fierent abſque alio

Gentilium consortio, in templis, domibus, vel sepulchris ponendo & collocando aliquam crucem in altari præfatorum defunctorum, dirigendo ad illam suam intentionem; ita tamen quod progenitoris imagini nihil tribuant nisi honorem & reverentiam filialem, quam si vivi extitissent illis comestibilibus & odoriferis rebus exhiberent, ut sic populo satisfaciant; unde hoc est quod quæritur utrum hoc pro nunc, ut inconvenientia evitentur, tolerari possit.

Censuerunt consequenter ad ea quæ superius dicta fuerunt, præmissa non posse salvari sive per appositionem crucis, sive propter absentiam Gentilium, sive per intentionem Gentilium actus de se illicitos & superstitiosos ad cultum veri Dei dirigentem.

11. Ad memoriam Progenitorum suorum conservandam utuntur Sinenses quibusdam tabellis in quibus nomina suorum Defunctorum scripta sunt, quas vocant animarum sedes, existimantes animas Defunctorum venire & assistere in illis tabellis ad recipiendum sacrificia & oblationes & præfatæ tabellæ sunt collocatæ in propriis Altaribus cum Rosis, Candelis, Lampadibus & odoramentis &

coram ipsis tabellis genuflexiones, orationes & deprecationes faciunt expectantque auxilium ab illis defunctis concedendum in suis necessitatibus & laboribus. Queritur an Christianis licitum sit omnibus Gentilitiis superstitionibus & erroribus postpositis, uti pro nunc præfatis tabellis, illasque inter Domini Sanctorumque imagines & in eodem altari collocatas habere vel in alio separato loco cum ornatu supradicto, ad hoc ut Gentilibus satisfaciant, vel possint facere supradictas deprecationes & sacrificia cum intentione supradicta.

Censuerunt omnino non licere habere illas tabellas in vero & proprio altari majoribus dicato, multò minùs deprecationes & sacrificia eis offerre, licet occulta & ficta intentione.

12. Quando in illo Regno aliquem mori contingit, sive Christianus sit, sive Gentilis pro inviolabili more habetur in domo defuncti quoddam altare præparare, in eodemque imaginem defuncti seu tabellam supradictam collocare cum ornatu odorum, florum & candelarum, retroque Cadaver feretro inclusum ponere, omnes autem qui ad condolendum domus illas ingrediuntur, coràm præparato

altari & defuncti imagine, ter vel quater genuflectunt humi se prostrantes capitibus usque ad terram demissis, aliquas secum candelas asportantes & odoramenta, ut in præparato illo altari coram defuncti imagine consumentur & comburantur.

Quæritur utrum licitum sit Christianis & præcipuè ministris S. Evangelii attento mutuæ benevolentiæ signo & amoris supradicta facere, maximè quando defuncti sunt ex nobilioribus populis.

Censuerunt, posito quod mensa parata sit quædam tabula, non autem verum & proprium altare, si cætera continentur intra limites obsequii Civilis & Politici esse toleranda.

13. Quæritur utrum catechumenis paratis jam ad baptismum suscipiendum debeant ministri declarare & apertè & in singulari docere esse illicita sacrificia & omnia supradicta, quamvis ex hoc sequantur inconvenientia, scilicet desistere à susceptione baptismatis, persecutiones, mors, vel exilium Ministrorum Evangelicorum.

Censuerunt Ministros Evangelicos teneri docere sacrificia omnia præterquam soli Deo esse illicita, cultum dæmonum &

idolorum esse relinquendum & quæcumque hujusmodi cultum concernunt, esse falsa & Christianæ fidei repugnantia: ad singularia verò descendendum prout in Catechumenis ingenii promptitudo, aut ruditas exiget aliisque circonstantiis, consuetudinibus ac periculis perspectis.

14. Chinarum sermone hæc, vox, *Xing* idem est quod sanctus, sancta, sanctum & in libris doctrinæ Christianæ à quibusdam sancti Evangelii Ministris prælo mandatis reperitur ista Vox *Xing* ad nominandam sanctissimam Trinitatem, Christum Dominum, beatam Mariam & cæteros Sanctos. Quæritur utrum quando in præfatis libris se offert occasio ut nominetur Magister Chinarum Cum,fû-Cû,vocatus, vel mandatum Regis Chinarum vel cæteri Reges, qui communiter in illo Regno ut sancti reputantur, cum sint Infideles & Idololatræ, possimus ne & sit licitum nobis Christi ministris nominare supradictos hoc nomine( Xing.)

Censuerunt non posse aliquid firmari circa vocem hanc nisi præhabita cognitione idiomatis ejusque veræ ac propriæ significationis. Cæterum si eadem vox in Regno Chinarum habet latitudinem posse Ministros ea uti, si verò restringitur

ad ſignificandam veram & perfectam ſanctitatem nullatenus poſſe.

15. In multis templis Idolorum illius Regni invenitur una tabula deaurata & collocata ſupra unam menſam vel altare & omnibus ornamentis candelarum, rozarum, odoramentorum munita & ornata, qua in tabula ſcriptæ ſunt litteræ vel characteres ſequentes, Hoam ty ván ſúy, van Van Suy, hoc eſt, Vivat Rex Sinarum ad multa annorum millia & ante præfatam tabulam mos eſt inter illos Idololatras ſacrificare bis vel ter in anno, & facere genuflexiones in honorem & reverentiam illius. Quæritur ſi Miniſtri Chriſti Domini poſſimus in noſtris Eccleſiis collocare hujuſmodi altare cum tabula & circunſtantiis prædictis, & hoc ante altare ubi Sacerdotes Dei ſacrificant oblationem immaculatam.

Cenſuerunt excluſis ſacrificiis & altari verè & propriè dicto, cætera quæ redolent tantummodo cultum civilem aut poſſunt ad illum reduci, poſſe permitti.

16. Quæritur ſi in illo Regno licebit Chriſtianis orare & ſacrificium facere Domino Deo noſtro pro ſuis defunctis, qui in ſua Infidelitate ab hac vita diſcedunt.

Censuerunt si verè in Infidelitate decedunt omnino non licere.

17. Si tenemur Prædicatores Evangelii prædicare in illo Regno Christum crucifixum & ostendere ejus sanctissimam Imaginem, maximè in Ecclesiis nostris. Causa dubitationis est quod Gentiles scandalizantur ex tali prædicatione & ostensione & judicant maximam esse stultitiam.

Censuerunt nulla prudentia aut prætextu differendam esse doctrinam Passionis post baptismum, sed omnino præmittendam; ad actualem verò prædicationem Christi crucifixi licet non teneantur Ministri Evangelici in singulis concionibus, sed ad proponendum verbum Dei ac divina mysteria prudenter & opportunè & ad illa pro Catechumenorum captu explicanda, non tamen à Passionis Dominicæ sermonibus abstinere tenentur ea ratione quod Gentiles inde scandalum sumant ac stultitiam putent.

Censuerunt etiam conveniens esse ut in Ecclesiis imagines habeantur Christi crucifixi: & ideò curandum ut quoad opportunè fieri potest exponantur.

Romæ ex Typographia sacræ Congregationis de propaganda fide. 1645.

# DECRETUM S. CONGREGATIONIS

## De propaganda Fide, habitæ

*Die 12. Septembris 1645.*

REFERENTE Eminentiſſimo Domino Cardinale Ginetto ſupraſcripta quæſita una cum reſponſis & reſolutionibus Congregationis Theologorum ad eorum quæſitorum examen ſpecialiter inſtitutæ. Sacra Congregatio Eminentiſſimorum D. D. Cardinalium de propaganda Fide præfata reſponſa & reſolutiones approbavit & eâdem Congregatione ſupplicante Sanctiſſimus D. noſter ad conſervandam uniformitatem in prædicatione ejuſque praxi omnibus & ſingulis Miſſionariis cujuſcumque Ordinis, Religionis & Inſtituti, etiam Societatis Jeſu, in Regnis Sinarum aut Chinæ pro tempore exiſtenbus, vel extituris ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ ſanctitati ſuæ & ſanctæ Sedi Apoſtolicæ Specialiter reſervatæ, diſtrictè præcipiendo mandavit, quatenùs præfata reſponſa & reſolutio-

nes diligenter obſervent, illiſque in praxi utantur ac ab aliis ad quos pertinebit obſervari & praticari faciant donec Sanctitas ſua vel ſancta Sedes Apoſtolica aliud ordinaverit.

# RESPONSA
## S. CONGREGATIONIS
### UNIVERSALIS INQVISITIONIS
### A SS. D. N. ALEXANDRO VII. APPROBATA.

## AD QVÆSITA
*Missionariorum Soc. IESV apud Sinas*

Anno Domini 1656.

AB aliquibus in Regno Sinarum Missionariis proposita fuerunt anno 1645. Sacræ Congregationi de Propaganda fide infrascripta, & alia quamplurima Quæsita, quæ Sacræ Congregationi Supremæ & Universalis Inquisitionis de mandato Sanctissimi transmissa, singula fuerunt à Theologis qualificatoribus qualificata, & unicuique suum responsum adaptatum in hunc qui sequitur modum.

Et primo: Vtrum Christiani Chinenses sint obligati ad observantiam juris positivi quantum ad jejunia; confiteri semel in anno, & communicare, festa servare

eo modo, quo obligantur Indi in nova Hispania, & in Insulis Philippinarum, juxta dispositionem Papæ Pauli III. pro Indis Occidentalibus, & Meridionalibus.

Censuerunt, jus positivum Ecclesiasticum de jejuniis absolutè obligare Chinenses Christianos, & à Missionariis hoc esse illis enunciandum: Attentâ verò Regionum, & Personarum qualitate locum esse (si Sanctissimo placuerit) dispensationi, quæ fuit aliàs à fœlicis recordationis Paulo III. Indis concessa, qua obtenta satagant Missionarii S. M. E. Pietatem illis patefacere, quibus ea, quæ in universum indixit, magna ex parte benignè remittit, & indulget.

Censuerunt etiam præfatos Chinenses obligari ad Sacramentalen Confessionem semel in anno, & Missionarios hujusmodi obligationem debere eis notificare.

Idem prorsus censuerunt quoad sacram Communionem semel in anno sumendam: Quo verò ad executionem tempore statuto, hoc est in Paschate, id esse intelligendum, nisi legitimum adsit impedimentum, aut grave periculum immineat. Curandum tamen ut infrà duos, vel tres menses, ante, vel post, Paschati proximos, quatenus sine discrimine fieri possit, sin

minus alio quovis tempore infrà decursum unius anni à Paschate inchoandi omnino communicent.

Demum censuerunt Chinenses ad fidem conversos teneri omninò festa servare, Missionarios etiam teneri hoc eis notificare, locum tamen esse ( si Sanctissimus annuat ) limitandi eis numerum dierum festorum juxtà formam Privilegii à Paulo III. Indis concessi.

Secundo : Utrùm in prædicto Regno Ministri Evangelici pro nunc saltem in Sacramento Baptismi possint abstinere ab imponendo mulieribus Oleùm sanctum Catechumenorum, sputum in auribus, & sal in ore. Insuper & non administrare eisdem mulieribus Sacramentum Extremæ-Unctionis. Et ratio dubitandi est, quia Chinenses magno zelo ducuntur erga Uxores, filias, & alias mulieres, & scandalum sument ex hujusmodi actionibus.

Censuerunt, & Sacramentalia in Baptismo mulierum esse adhibenda, & Extremam-Unctionem esse mulieribus conferendam; Nec sufficere motivum in dubitatione expressum, ut Missionarii ( quantum in se est ) ab his abstineant: Curandum ergo, ut tam salubres Ritus, & cæremoniæ introducantur, & observentur,

ac Miſſionarii tali circunſpectione illa adminiſtrent, hominesque talibus inſtruant documentis, ut ab omni ſuſpicione inhoneſtatis liberentur.

Octavo: In prædicto Regno habent Chinenſes quendam Magiſtrum in Philoſophia Morali litteratum, qui olim diſceſſit à vita, vocatum Kum fû eû, qui ob Doctrinam, Regulas, & Documenta, adeo in toto regno acceptus eſt, ut tam Reges, quam omnes alii cujuſcumque conditionis, & gradus ſint, ſibi proponant imitandum, & ſequendum, ſaltem quoad ſpeculativum, & tanquam ſanctum venerantur, & laudant, in omnique Civitate, & Villa præfato Magiſtro Templa ſunt erecta: Gubernatores verò bis in anno tenentur in ejus Templo ſolemne ſacrificium offerre, Sacerdotis ipſimet gerentes officium, & ſine ſolemnitate in anni decurſu bis in menſe, concurruntque cum illo aliqui ex Litteratis pro adminiſtratione eorum, quæ in tali ſacrificio offerunt, quæ quidem ſunt, Sus unus integer mortuus, Capra una integra, Candelæ, vinum, flores, odores, &c.

Item omnes Litterati quando accipiunt gradum, debent ingredi Templum iſtius Magiſtri, & facere genuflexiones, & of-

ferre ante ejus Altare ex candelis, & odoribus. Totus iste cultus, sacrificium, & reverentia, secundum omnium illarum Gentium formalem intentionem dirigitur in gratiarum actionem pro bonæ ipsius relictis Doctrinæ documentis, atque ut ab eo impetrent ex ipsius meritis, optimi ingenii fœlicitatem, sapientiæ & intellectus: Quæritur utrum Gubernatores qui Christiani sunt, vel fuerint, & litterati, vocati, & coacti possint ingredi præfatum templum, facere tale sacrificium, vel assistere hujusmodi sacrificio, vel facere genuflexiones ante Altare illud, vel accipere aliquid de Idolothytis, & oblationibus illis, maximè quia putant illi Infideles, quod quicumque manducaverit ex talibus Idolotitis, habebit progressum magnum in suis litteris, & gradibus, & si portantes Crucem in manibus possint licitè hoc facere, eo modo, quo dubitationi superiori dictum est; quia si hoc illis prohibetur, erit tumultus in populo, Ministri Evangelii in exilium mittentur, & conversio animarum impedietur, & extinguetur.

Censuerunt non licere, nec posse aliquo pretextu contento in dubio Christianis permitti.

Nono : Inviolabilis obſervantiæ mos eſt apud Chinenſes tanquam doctrina à ſupradicto Magiſtro Kùm fù eù tradita, quod in omnibus Chinæ populis, templa conſtructa habeant Avis, & Progenitoribus ſuis defunctis dicata, & in unoquoque eorum omnes, qui ejuſmodi familiæ ſunt, bis in anno congregantur, ut præfatis ſuis Progenitoribus ſolemnia ſacrificia faciant magno cæremoniarum apparatu, & in Altari multis candelis, floribus, & odoribus adornato, imaginem, ſive effigiem parentis, vel Avi defuncti collocant', in quo ſacrificio invenitur, & qui facit Sacerdotis officium, & Miniſtri illius, offeruntque carnes, vinum, candelas, odoramenta, capita caprarum, &c. Hoc autem ſacrificium ex communi illarum gentium intentione dirigitur, ut præfatis eorum progenitoribus gratias reddant, honorem, & reverentiam exhibeant, ob beneficia ab eis accepta, & ob illa, quæ ab eis accipere ſperant : Unde ante altare proſtrati deprecationes multas faciunt poſtulantes ſanitatem, longam vitam, abundantiam fructuum; filiorum multiplicationem, proſperitatem magnam, & ut ab omnibus adverſitatibus liberentur : Quod quidem ſacrificium in

domibus suis, & in sepulchris mortuorum etiam fit, minore tamen solemnitate. Quæritur utrum Christiani fictè, & exterius tantum, ut supra dictum est, possint assistere hujusmodi sacrificio, vel exercere aliquod Ministerium in illo, cum Infidelibus commixti, sive in Templo, sive in domo, vel sepulchro, publice, vel privatim, vel quonam modo hoc poterit permitti Christianis illis, ne, si omnino prohibeantur hoc facere, fidem perdant, vel ut melius dicam, avertant se ab actionibus exterioribus Christianorum.

Censuerunt Christianis Chinensibus nullatenus licere fictè, vel exterius assistere sacrificiis in honorem progenitorum, neque eorum deprecationibus, aut quibuscumque Ritibus superstitiosis Gentilium erga ipsos, multo minus licere circa præfata, Ministerium aliquod exercere.

Cæterum cum Missionarii Societatis Jesu in prædicto Regno tunc temporis auditi non fuerint anno elapso 1655. eidem Sacræ Congregationi de Propaganda Fide prædicta quatuor quæsita proposuere, cum ex facti diversitate, quæ unicuique quæsito est apposita, &c. Res ad eandem Sacram Congregationem supremæ, & Universalis Inquisitionis jubente

ſanctiſſimo Domino noſtro remiſſa. Eadem ſacra Congregatio auditis qualificatorum votis in ſequentem ſententiam reſpondit.

Primo quæritur: Utrùm Miſſionarij novis, Chriſtianis quam primùm baptizantur, debeant intimare jus poſitivum tanquàm obligatorium ſub peccato mortali, quantùm ad jejunia, feſta ſervare, & confiteri ſemel in anno, ac communicare.

Dubitandi ratio circa Jejunium eſt, quia Sinæ inde ab infantia ter comedere conſueverunt, ad quod levitas cibi cogit. Præfecti verò jejuni Tribunalia adire deberent, quæ frequentant ab octava matutina ad ſecundam poſt meridianam, quod illis eſſet omnino impoſſibile.

Circa feſta, Confeſſionem, & Communionem dubitandi ratio eſt, quia maxima Chriſtianorum pars laborare debet, ut victum lucretur, & ſæpè coguntur Chriſtiani ab Infidelibus Præfectis, feſtis diebus ſubire varios labores. Ipſi Præfecti Chriſtiani tribunalia frequentare debent etiam diebus, qui apud nos feſti ſunt, ſub pœna privationis officii.

Miſſionarii ſunt pauci numero, Regnum eſt vaſtiſſimum; ideò quamplures Chriſtiani Miſſam audire diebus feſtis, confi-

teri ſemel in anno, & communicari non poſſunt.

Sacra Congregatio juxta ea, quæ ſuperius propoſita ſunt, cenſuit: Jus poſitivum Eccleſiaſticum quoad jejunia, obſervationem feſtorum, Sacramentalem Confeſſionem, & Communionem ſemel in anno, eſſe à Miſſionariis Sinenſibus Chriſtianis notificandum, ut obligatorium ſub peccato mortali, poſſe tamen ſimul explicare cauſas, propter quas excuſantur fideles ab obſervatione Præceptorum; ſi Sanctiſſimo placuerit, poſſe concedi Miſſionariis facultatem diſpenſandi in caſibus particularibus tantùm eorum arbitrio.

Secundo quæritur: Utrum omnia ſacramentalia in Baptiſmate fœminarum adultarum adhibenda ſint: Quæritur iterùm: Utrùm ſufficiat fœminis petentibus tantùm Extremæ-Unctionis ſacramentum conferre.

Quæritur iterùm: Num etiam petentibus negandum, cum incommoda, & pericula Chriſtianitatis totius prudenter futura prævidentur.

Ratio dubitandi eſt, incredibilis apud Sinas fœminarum modeſtia, zelus, & laudabilis earum ab omni virorum, non ſo-

lùm congreſſu, ſed, & aſpectu fugâ, quâ in re, niſi magna adhibeatur à Miſſionariis cautela, ſcandalum ingens Sinis datur, totaque Chriſtianitas evidentiſſimo periculo poſſet exponi.

Sacra Congregatio juxta ea, quæ ſuperius propoſita ſunt cenſuit: Ex gravi neceſſitate proportionata poſſe omitti quædam ſacramentalia in Baptiſmate fœminarum, ac etiam poſſe omitti ipſum ſacramentum Extremæ-Unctionis.

Tertio quæritur: Num accipiendorum graduum cæremoniam, quæ fit in Aula Confucij, Chriſtiani litterati licitè agere valeant. Nam nullus intervenit ſacrificulus, vel ex Idolatria ſecta Miniſtellus, nihil omninò fit ab Idololatris inſtitutum, ſed ſoli ſtudioſi, & Philoſophi conveniunt. Confucium tanquam Magiſtrum ſuum agnoſcentes, civilibus, ac Politicis Ritibus ex ſua prima inſtitutione ad merum cultum civilem inſtitutis.

Omnes enim graduandi ſimul Aulam Confucii ingrediuntur, in qua eos expectant Cancellarii Doctores, ac Examinatores, ibi ſimul omnes ante nomen Philoſophi nihil omnino offerendo illas faciunt cæremonias, & inclinationes more Sinico, quas omnes Diſcipuli faciunt ſuis

Magiſtris vivis, atque ità cognito Philoſopho Confucio pro Magiſtro, gradus accipiunt à Cancellariis, ac diſcedunt. Præ-tereà Aula illa Confucii Gymnaſium eſt, & non Templum propriè dictum, nam clauſa omnibus eſt præterquam ſtudioſis.

Sacra Congregatio juxta ea, quæ ſuperius propoſita ſunt, cenſuit permittendas Sinenſibus Chriſtianis prænominatas cæremonias, quia videtur cultus eſſe merè Civilis, & Politicus.

Quarto quæritur: Num cæremoniæ, quæ ſunt ex Philoſophorum placitis circa defunctos, Chriſtianis permitti poſſint, prohibendo quidquid ſuperſtitioſum acceſſit.

Quæritur iterûm num Chriſtiani ſimul cum Infidelibus conſanguineis eaſdem licitas cæremonias facere poſſint.

Quæritur iterùm, num adeſſe poſſint Chriſtiani, præcipuè facta fidei proteſtatione, quando Infideles etiam ſuperſtitioſa peragunt, non cooperando, aut auctoriſando, ſed quia valdè notaretur, ſi conſanguinei tunc abeſſent, & eſſent inimicitiæ cauſa, ac odii: Sinæ nullam divinitatem animabus defunctorum concedunt, nihil ab illis ſperant, aut petunt.

Triplex est modus, quibus defunctos suos honorant. Primus est: cum aliquis moritur, sive Christianus sit, sive Gentilis pro inviolabili more habetur in domo defuncti quoddam Altare præparare, in eodemque Imaginem defuncti, seu Tabellam collocare, in qua ejus nomen scriptum est, cum ornatu odorum, florum, & Candelarum, retroque Cadaver Pheretro inclusum ponere. Omnes autem qui ad condolendum domos illas ingrediuntur coram præparata tabula, & defuncti imagine ter, vel quater genuflectunt, humi sese prosternentes capitibus usque ad terram demissis, aliquas secum candelas asportantes, & odoramenta, ut in præparato illo Altari, seu potius tabula coram defuncti imagine consumentur, & comburantur.

Secundus modus est, qui fit bis in anno, in avorum, & primogenitorum suorum aulis, ità Sinæ vocant, & non templa, hoc enim *Tsu* tang sonat, quæ verè familiarum memoriæ, vel monumenta sunt, has soli habent Magnates, aut ditiores consanguinitates, in eis nullus sepelitur mortuus, sed in montibus. Sola ergo intus nobilioris Proavi imago, deinde supra gradus alios aliis altiores dispo-

ſitæ ſunt tabellæ ad palmi altitudinem in quibus omnium in illa familia defunctorum nomina, qualitas, ſexus, ac ætas inſcripta ſunt, dieſque mortis etiam infantium, & puellarum. In hac ergo Aula bis in anno conſanguinei omnes conveniunt, ex quibus ditiores offerunt carnes, vinum, candelas, odoramenta; pauperiores autem qui has Aulas habere non poſſunt, defunctorum ſuorum tabellas domi ſervant, vel in loco particulari, vel etiam ſuprà Altare, ubi ſanctorum Imagines, qui ob loci, ac domus parvitatem alium locum non habent, quas tamen nec venerantur, nec illis offerunt quidquam, ſed ex defectu alterius loci ibi ſunt: cæremoniæ enim illæ ſupradictæ à Sinis non fiunt, niſi in Aula defunctorum, quam ſi non habent, etiam cæremonias omittunt.

Tertius modus eſt, qui fit ad mortuorum ſepulchra, quæ omnia in montibus ſunt extrà mœnia juxta Regni leges. Ad hæc filii, aut affines accedunt ſemel ſaltem in anno circa initium Maij, Herbas, ac gramina circa ſepulturas nata eradicant, purgant, plorant, deinde ejulantur, genuflexiones, ut in primo modo dictum eſt, faciunt, cibos coctos, vinumque diſponunt: Mox finitis lacrymis edunt, ac bibunt.

Sacra Congregatio juxta ea, quæ superius proposita sunt, censuit posse tolerari Sinas conversos adhibere dictas cæremonias erga suos defunctos, etiam cum Gentilibus, sublatis tamen superstitiosis. Posse etiam assistere tantùm cum Gentilibus, quando agunt superstitiosa, præsertim facta fidei protestatione, & cessante periculo subversionis, & quando aliter odia, & inimicitiæ vitari non possint.

Feria v. die 23. Martii 1656.

*IN Congregatione Generali sanctæ Romanæ, & Universalis Inquisitionis habita in Palatio Apostolico apud sanctum Petrum coram Sanctissimo D. N. D. Alexandro divina providentia Papa VII. ac Eminentissimis & Reverendissimis DD. sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus in tota Republica Christiana adversus hæreticam pravitatem Generalibus Inquisitoribus à sancta Sede Apostolica specialiter deputatis.*

*Facta relatione suprascriptorum Quæsitorum, vna cum responsis, & resolutionibus sacræ Congregationis, Sanctissimus D. N. Alexander Papa VII. prædictus præfata responsa, & resolutiones approbavit.*

Joannes Lupus S. Romanæ,
Loco † sigilli. & Universalis Inquisitionis
Not. &c.

FERIA

*IN CONGREGATIONE Generali ſanctæ Romanæ, & Vniverſalis Inquiſitionis habitâ in Conventu ſanctæ Mariæ ſuper Minervam coram Eminentiſſimis & Reverendiſſimis Cardinalibus in totâ Republicâ Chriſtianâ contra hæreticam pravitatem Generalibus Inquiſitoribus à ſanctâ Sede Apoſtolicâ ſpecialiter deputatis.*

LECTO memoriali dato pro parte Fratris Joannis Pollanco Ordinis Prædicatorum Miſſionarij Apoſtolici apud Sinas & aliorum Miſſionariorum ejuſdem Ordinis ibidem in Prædicatione Evangelicâ collaborantium; in quo ſupplicabat ſacræ Congregationi, ut dignaretur declarare an ſubſiſtat & in ſuo robore permaneat præceptum & Mandatum ſub pœnâ Excommunicationis latæ ſententiæ Sanctitati ſuæ & ſanctæ Sedi ſpecialiter reſervatæ, de obſervantiâ reſponſorum & reſolutionum factarum die 12. Septembris 1645. in ſacrâ Congregatione de propagandâ fide, & eâdem ſupplicante à ſanctæ memoriæ Innocentio X. approbatorum? Et an juxta in iiſdem dubiis expoſita ab omnibus & ſin-

gulis Missionariis cujuscunque Ordinis, Religionis, & instituti, etiam Societatis Jesu in Regnis Sinarum aut Chinæ pro tempore existentibus vel extituris in praxi diligenter observanda sint; donec Sanctitas sua, vel Sedes Apostolica aliud ordinaverit; nonobstante alio Decreto à sacrâ Congregatione sancti Officij emanato sub die 23. Martij 1656. super aliquibus quæsitis propositis à Patribus Societatis Jesu apud Sinas Missionariis diversimode, & cum alijs circumstantiis conceptis: Eminentissimi Patres declaraverunt Decretum sacræ Congregationis de propagandâ fide, datum sub die 12. Septembris 1645. secundum tunc exposita in dubiis, esse in suo robore, neque per Decretum sacræ Congregationis sancti Officij latum sub die 23. Martij 1656. fuisse circumscriptum, sed omnino secundum quæsita, circumstantias, & omnia in dictis dubiis expressa esse servandum, ut jacet; quemadmodum servandum declaravit Decretum sacræ Congregationis sancti Officij latum, ut suprà, 23. Martij 1656. juxta quæsita, circumstantias & omnia in eis expressa.

*Feriâ quartâ Vigesimâ supradicti mensis Novembris 1669. factâ relatione per Illustris-*

*ſimum & Reverendiſſimum D. Hieronymum Caſanata Aſſeſſorem ſancti Officij SS. D. N. D. Clementi divinâ Providentiâ PP. 9. Sanctitas ſua approbavit.*

Franciſcus Richardus S. Romanæ & Univerſalis Inquiſitionis Notarius.

# DECRETUM
## *PRO DISPENSANDO in disparitate cultus, die 23. Ianv. 1669. in Congregatione S. Officii Romani.*

RElata Sanctissimo D.N.D. Clementi divina providentia Papæ IX. instantia R.P. D. Episcopi Heliopolis, Vicarii Apostolici in Regno Sinarum, remissa à S. Congregatione de propaganda Fide: Sanctitas sua concessit eidem Vicario Apostolico facultatem per annos quindecim proxime futúros, dispensandi super impedimenta disparitatis cultus, gravibus tamen ex causis in singulis casibus, in quibus dispensandum erit, & in locis tantum ubi sunt plures Infideles quam Christiani; ita ut in eo matrimonio postmodum (quatenus absque contumelia Creatoris fieri possit) contrahentes remanere libere & licite valeant, prolesque exinde suscipiendas legitimas decernendi; super quibus ejusdem Vicarii conscientia oneratur & prædictæ dispensationes concedantur gratis.

Franciscus Riccardus S. Romanæ & Universalis Inquisitionis Notarius.

# DUODECIM DUBIA JAPONICA CUM EORUM RESPONSIS à Theologis Romæ consultis.

## JUSSU EMINENTISSIMORUM sacræ Congregationis de propagandâ fide.

### *Dubium primum.*

1. SE sia lecita secondo l'vso del Giapone dar denari in presto à venti e trenta per cento, con assicurar, o non assicurare il Capitale?

R. Nihil ratione mutui precise exigi posse. titulos lucri, in damno emergente, lucro cessante, societate negociationis, aut obligatione pretio æstimabili & vendibili constitui debere, quantitatem lucri, communi æstimatione definiendam, minore semper proventu cum adest securitas, quæ & ipsa pretio redimi potest. Super his monendos & instruendos contrahentes, & publica authoritate præscribendam formam contractibus.

*Dubium secundum.*

2. Se a quelli che si vogliano battezare, prima de battezargli s'ha da trattar della restitutione di quello che ingiustamente possedono: o pure s'ha da tacere fin al tempo che si confessaranno?

R. Omnino proponi debere baptizandis obligationem restitutionis exequendam, si fieri posset, ante baptismum, neque reservari post factum, sic ostendente Christi Domini institutione & Ecclesiæ antiquo ritu, ita vt oppositum fidei infêrat injuriam, sanctitati Ecclesiæ & divinis Sacramentis.

*Dubium tertium.*

3. Se si possà dar licenza, e insegnar alli Christiani, che lecitamente possono vendere poluere e munitioni à heretici che guerregiano contra li Catholici?

R. Licere, dum non constet de abusu contra Catholicos.

*Dubium quartum.*

4. Se si possa dar licenza à Christiani di fabricar i Tempii, o altari agli Idoli, o vero formar l'istessi Jdoli, acciò non Siano esiliàti, o privati de loro beni?

R. Non licet cooperari ad ædificanda Templa, vel altaria Idolorum, vel eorum statuas conficere.

*Dubium quintum.*

5. Se gli Christiani congiunti in matrimonio Sacramentale possono, rinegando l'altro la fede, e non potendo con esso cohabitare sine contumeliâ Creatoris; contrahere altri matrimonij, non tenendo gli Giaponesi il matrimonio per indissolubile?

R. Contractum matrimonij divinâ institutione esse indissolubilem, & habere inter Fideles superadditam rationem Sacramenti, quâ illius vinculum indissolubiliter consecratur; nihil igitur obstare errorem Japonensium, & negative responderi.

*Dubium sextum.*

6. Se cessando la persecutione si può dar licenza à Giaponesi non ordinati di predicar publicamenti nella Chiesa, e gli pulpiti?

R. Ministerium verbi nunquam licere non habentibus manuum impositionem, nisi ex Romani Pontificis commissione.

*Dubium septimum.*

7. Se gli Christiani che servono a gli Gentili possono accompagnar fin al Tempio de gli Idoli, e iui assistere à i riti de Gentili, senza intentione di riverirgli Istessi Idoli, ma solo per non parer scortesi, e

non esser conosciuti per Christiani, e per non perder la gratia de' loro Padroni: E il medesimo delle persone libere, per timor di non esser conosciuti per Christia-stiani vanno alli deti Tempij, e iui fanno quello che fanno altri?

R. Seruos posse exhibere Dominis obsequium ciuile, siue in Templo, siue extra; liberos vero, etsi non teneantur ad manifestandam fidem, nisi cum expedit; nunquam tamen facere posse, vnde merito Infideles judicari possint, etiam per solum accessum ad Templum Idoli, aut aliam quamlibet rationem.

*Dubium octauum.*

8. Si fuor del caso di necessita s'ha da fidar à Laïci Giaponesi il catechizar & il battezare?

R. Non licere parare viam ad Hierarchiæ Ecclesiasticæ subuersionem.

*Dubium nonum.*

9. Se mentre dura le persecutione in suo rigore, e mancamento di Ministri s'ha da publicare il decreto del matrimonio del S. Concilio di Trento & altre obligationi particolari; e se oue è stato publicato innanzi della persecutione, basta questa causa per dichiarare che il decreto non obliga?

R. Ubi non est publicatum; differendam esse publicationem ad congruum tempus; vbi vero publicatum fuit, obligare, nisi interueniat ineuitabilis necessitas.

*Dubium decimum.*

10. Se s'hanno da battezare gli Infideli che non sono sufficiente mente instrutti né principali misterij della nostra santa fede, reservando l'instruttione dopo il batesimo?

R. Nec debere, nec posse fieri sine grauissima culpâ, ad minus, baptisantis.

*Dubium vndecimum.*

11. S'hauendo commodita, s'ha da ministrar il batesimo colli Sacramentali; O pure si pono tralasciar per evitar l'horrore che sogliono causare né Giaponesi l'Untione, e l'insufflatione, e l'vso della saliva.

R. Omnino seruandos esse tam salubres Ecclesiæ ritus, & delicatos, qui horrent, indignos censeri qui intra Ecclesiam admittantur. Sacerdotes vero, qui ut abstineant, his rationibus nituntur, animaduertere debere, quod illis ipsis, hæretici aduersus Ecclesiam Catholicam proprios tueantur errores.

*Dubium duodecimum.*

12. Se per la medema causa, e per non esser de necessita l'estrema Vntione, e la

Confirmatione, s'hanno da tralaſciare?

R. Indignam eſſe reſponſione petitionem, cum Magiſter Eccleſiæ Chriſtus hæc inſtituerit Sacramenta pro omnibus; denique verbum Crucis ad tempus non eſſe occultandum ad evitandum Infidelium ſcandalum, & cujuſcunque prudentiæ prætextu; ſed oportere ſine erubeſcentiâ prædicari non ſolum Chriſti poſteriores glorias, ſed etiam Paſſiones, vt Princeps Apoſtolorum dicit, concinente Doctore Gentium, cum ait, Prædicamus Chriſtum crucifixum, Iudæis quidem ſcandalum, Gentibus autem ſtultitiam; & iterum. Placuit Deo per ſtultitiam prædicationis ſalvos facere credentes.

Notandum Theologis à ſacra Congregatione de propagandâ Fide deputatis & Congregatis; id eſſe præfixum ut ſingulis propoſitis quæſtionibus eligerent in omnibus mitiores ſententias, dummodo contineant doctrinam tutam, & ſeveritatem Eccleſiaſticæ diſciplinæ, puritatemque fidei Romanæ non reſolvant.

# DUBIA DE MATRIMONIO JAPONUM.

DAlla ſacra Congregatione del S. Offitio ſono ſtate pigliate alcune riſolu-ptioni ſopra i dubij propoſti da Monſig. Veſcouo d' Heliopoli circa i Matrimonij de gl'Infedeli, e perche queſti le bramaua in forma autentica, vi furono per ordine dell'E E. VV. à queſt' effetto rimandate.

Non hanno giudicato Però quei SS. Cardinali che ſimili riſolutioni eſcono con autentico del S. Offitio, onde per quel', che riguarda l'autorita neceſſaria ſi ſupplicano l'EE. VV. di farle publicare come definitioni di queſta ſacra Congregatione.

*Dubia de Matrimonio.*

1. Suppono primo quod Japones ab antiquis temporibus liberè Uxores repudiant, aliaſque ducunt nulla cognita perſeverandi obligatione.

2. Suppono inter eas, quas uxores vocant, & Concubinas, magnum eſſe diſcrimen, licet concubinæ filij ad nutum parentum in bona paterna admittantur. Hoc ſuppoſito quæritur primò Utrum hujuſ-

di connubia, quæ Japones more patrio contrahunt, non cognita obligatione supradicta; imò potius generali quadam apprehensione ducti; scilicet, quod liceat plures vxores ducere successivè, vera sint.

Ad primum sacra Congregatio dixit non expedire, vt res definiatur, sed tradantur deinceps Missionarijs vna cum facultatibus solitis copiæ Brevium sanct. mem. Pij V. & Greg. XIII. quæ habentur in alio Breve sanct. me. Pauli V. die IV. Maij 1616. vt in fine, & in alijs casibus recurrant ad Sedem Apostolicam.

*Quæritur* 2. quando alter conjugum, experiendi animo Matrimonium contraxisse asseverat, & si mores similes sint, perseverandi, & si dissimiles repudiandi, interrogatus tamen num ille animus experiendi sit circa vxorem ducendam in Matrimonium, nec ne, vel potius post ductam repudiandi, vel non, & nescit suum animum aperire, vtrum ejusmodi conjugium verum sit Matrimonium.

*Quæritur* 3. si Gentilis adhuc viuente vxore post vnum, vel plura repudia facta cum altera vxore, bona fide ad baptismum accederet, ita tamen, quod si admoneas, potius baptismum, quam vxorem dimittat; vtrum talis ad baptismum admitti

possit, supposito, quod si ejusmodi homines non admittantur, majori adultorum parti, qui cum hoc impedimento accedunt, salvationis janua erit omnino clausa.

Ad secundum & tertium ut ad primum.

*Quæritur* 4. An Christianus, qui bona fide vxorem repudiauit, quam ante Concilij publicationem in vxorem duxit, & cum supradicta matrimonium in facie Ecclesiæ petit, nullum faciens scrupulum in Confessione de repudio prioris, imò licet admoneatur, vt ad priorem accedat, id nulla ratione faciet: Utrum hujusmodi matrimonium in facie Ecclesiæ celebrari possit, supposito quod scandalum aliquod oriatur si alijs administretur, & alijs denegetur.

Ad quartum: clarius proponatur.

*Quæritur* 5. An is qui secum animo statuerat vxorem sine perseverandi obligatione ducere, imò si duxerit ad libitum ejus esse illam repudiare, cum tamen matrimonium contraxit, nec hujusmodi intentionis, nec generice sit recordatus, sed absolutè more patrio contraxit, an hoc sit vere matrimonium.

Ad quintum vt ad primum.

*Quæritur* 6. Supposito, quod in Japonia

in magnum converſionis impedimentum erit, diſparitatis cultus, impedimenti publicatio, præſertim quia homines in dignitate conſtituti raro Chriſtiani fiunt, ſi ſciant ſibi non licere ad libitum quoſque maluerint filios in matrimonium copulare; an licitum ſit hoc impedimentum non publicare ſed diſſimulare, & interim quod non publicatur, qui bona fide cum hoc impedimento occulto contrahunt, an verè matrimonium contrahant, vel potius ipſo facto, ſit irritum, ita quod comperta veritate ab invicem ſejungi poſſint.

Ad ſextum poſſe concedi facultatem diſpenſandi in impedimento diſparitatis cultus juxta Decretum ſanctiſſimi Domini noſtri latum die 23. Janvarii 1669.

*Quæritur* 7. An publicatio Tridentini circa matrimonium differri debeat in locis, ubi de novo converſio eſt facta, donec magis ſint in fide firmati & in locis ad quos Patres pervenire difficile eſt, aut ob loci diſtantiam, aut quia ab illius Domino Gentili Patres ſunt in exilium miſſi.

Ad ſeptimum poſſe concedi dilationem publicationis Decreti Concilii Tridentini.

*Quæritur* 8. In locis in quibus Decretum Tridentinum circa matrimonium publicatum eſt, an poſſint fideles viciſſim matri-

monium contrahere ſine Parochi præſentia, cum aut ob maximam diſtantiam, aut ob exilium illis locis adeſſe nequeant, & an conjugia illa vera ſint & ſine peccato fiant.

Ad octavum Miſſionarii exequantur Decretum ſacræ Congregationis Concilii ad Epiſcopum Tricarienſem circa matrimonia Batavor ut infra.

*Quæritur* 9. An qui in propria Parochia Concilii Decretum circa matrimonium audivit, poſſit in aliis locis, in quibus non eſt publicatum Decretum ſine Parocho matrimonium contrahere.

Ad nonum licere juxta Decretum ejuſdem S. Congregationis Concilii, modo non fiat in fraudem.

*Quæritur* 10. An ut verè Concilii Decretum dicatur publicatum, neceſſe ſit in omnibus Eccleſiis Vicorum, quæ inter ſe valdè proximè ſint publicetur, cum & aliqui vici ob incolarum commoditatem duas Eccleſias habeant.

Ad decimum eſſe neceſſariam publicationem in ſingulis, & ſolis Parochiis juxta Decretum ſacri Concilii Tridentini ſeſſ. 24. c. 1. de reform. marrimonii.

*Quæritur* 11. Cum in aliquo dominio perpaucæ Eccleſiæ ſint, cum tamẽ impoſterum

multæ ſint erigendæ, an publicato Decreto Concilii in illis paucis Eccleſiis in toto dominio cenſeatur publicatum, vel potius in quolibet vico, in quo deinceps Eccleſia erigenda eſt, congregatis Chriſtianis in aliqua domo decenti, ut ſolet fieri in Miſſæ celebrationibus, ibi fieri debeat publicatio, ita quod interim, cum in ſingulis vicis non ſit publicatio poſſint ſine Parocho, & teſtibus matrimonium contrahere.

Ad undecimum ſufficere publicationem jam factam, niſi novi accedant populi, & incolæ, & pro eis novæ erigantur Parochiæ.

*IN GENERALI CONGREGATIONE sanctæ Romanæ, & Universalis Inquisitionis habitâ in Palatio Apostolico apud sanctum Petrum coram Sanctissimo Domino nostro Paulo V. divina providentia Papa, & Reverendissimis dominis Cardinalibus adversus hæreticam pravitatem Inquisitoribus Generalibus, à sanctâ Sede Apostolica specialiter deputatis.*

PATRUM Societatis Jesu morantium in Regno Sinarum vulgò la China, qui dant operam conversioni Gentium illarum lecto memoriali, sanctissimus Dominus noster Papa concessit eis, ac aliis Catholicis Sacerdotibus, ut in celebratione Missæ possint habere caput contectum, cum in illa Regione detecto capite manere, vel operari, non sit reverentia, sed irreverentia, & scandalum generet, non devotionem. Curabunt tamen dicti Patres; ac alii Sacerdotes in Missæ celebratione non uti pileo communi & vulgari, sed alio proprio, & ejus coloris, cujus sunt paramenta cætera, & si id commode fieri non poterit, saltem utentur pileo, quo uti solent in prædicatione verbi Dei, & aliis

actionibus ſacris, non illo quotidiano, quo utuntur ordinariè, quam conceſſionem ſanctus Dominus noſter Papa intendit & declarat durare donec aliter non fuerit declaratum à ſancta Sede.

Item permiſit Sanctitas ſua eiſdem Patribus, ut poſſint transferre ſacra Biblia in linguam Sinarum, non tamen vulgarem, ſed eruditam & literatorum propriam, illiſque ſic tranſlatis uti, & ſimul mandat ut in tranſlatione Bibliorum adhibeant ſummam & exquiſitam diligentiam, & tranſlatio fideliſſima ſit, ac ineâdem lingua Sinarum poſſint à Sinis celebrari divina officia Miſſarum & horarum Canonicarum.

Denique permiſit ut in eadem linguâ eruditâ Sinarum poſſint à Sinis Sacramenta miniſtrari, & aliæ Eccleſiæ functiones peragi, dummodo ſint legitimè promoti ad ſacros Ordines, & ab habente auctoritatem reperti idonei, & admiſſi ad dictas functiones Eccleſiaſticas faciendas, in quibus ſe conformare teneantur ritui ſanctæ Romanæ Eccleſiæ: Ita tamen, ut ſi unquam contingat in illis partibus conſtitui Epiſcopum, vel Epiſcopos, ex hâc permiſſione non cenſeatur præjudicatum muneri & juriſdictioni Epiſcopali.

Andreas de Pettinis S. Romanæ & Univerſalis Inquiſitionis Notarius.

*IN GENERALI CONGREGATIONE S. R. & Universalis Inquisitionis habitâ in Conventu S. Mariæ super Minerva coram EE. & RR. DD. S. R. E. Cardinalibus in tota Repub. Christiana, contra hæreticam pravitatem Generalibus à S. Sede Apostolica specialiter deputatis.*

CUm nonnulli Sæculares & Regulares variis in locis instituerint Confraternitates mancipiorum Matris Dei dictas Italicè, Delli schiavi della Madre di Dio & catenulas distribuant Confratribus & Consororibus brachiis & collo circumponendas atque gestandas, ut eo signo Beatissimæ Virgini se mancipatos esse profiteantur, Imagines quoque & numismata catenatos sodales exprimentia divulgent, & libellos in quibus eisdem Confraternitatibus regulas præscribunt, usum hujusmodi mancipatus & munerum commendantes, S. Congregatio hunc abusum aliàs diversis in locis specialibus edictis à se prohibitum considerans nonnullorum studio & operâ crescere magis in dies, Universali edicto abolendum esse decrevit. Quare omnibus & singulis Christi fidelibus utriusque sexus tam Re-

gularibus, quam sæcularibus supradictarum Catenularum usum districte interdicit, Regularibus quidem sub pœna activæ & passivæ vocis ipso facto incurrenda, cæteris vero sub pœnis gravibus suorum Ordinariorum arbitrio infligendis, Societates quocumque nomine appellentur quarum institutum in eo mancipatu præcipuè versatur, damnat & extinguit. Illis vero societatibus quæ ritum aliquem, aut quodcunque aliud ad mancipatum ejusmodi pertinens adhibuerint, præcipit, ut sub ijsdem pœnis id statim reijciant, libellos demum, Imagines & numismata quæ ante dicta sunt, damnat vetatque sub pœnis in Indice librorum prohibitorum latis in eos qui libros vetitos retinent aut divulgant, ut novus hic B. Virginis mancipatus omnino aboleatur, contrariis quibuscunque nonobstantibus.

Franciscus Ricardus S. Romanæ & Universalis Inquisitionis Notarius.

*Anno Nat. D. N. I. C. 1673 die vero mense Iulij, Indictione Pontificatus autem sanctissimi in Christo Patris & D. N. D. Clementis divina providentiâ Papa X. anno ejus 4 supradictum Edictum seu Decretum affixum & publicatum fuit ad Valvas Basilicæ Principis Apostolorum, Cancellariæ Apostolicæ, & in acie Campi Floræ de Vrbe ac Palatij S. Officij ejusdem urbis per me Ioan. Antonium Bertarelli ejusdem S. D. Papæ ac S. Inquisitionis Cursorem.*

# *DECRETA CONGREGATIONIS particularis super negotiis Missionum Sinarum, Tunkini, & Cocincinæ,*

Habitæ die 13. Janvarii 1665.

1. AD supplicationem Domini Jacobi de Bourges, Missionarii ad regnum Cocincinæ, nomine Episcopi Beritensis Vicarii Apostolici ad idem regnum, ut eadem Missio extendatur ad regna quoque Camboïæ, & Ciampæ suo Vicariatui proxima: Sacra Congregatio attentâ vicinitate locorum ad prædicta regna, si aliis Vicariis Apostolicis non fuêre jam assignata, extendi eandem jurisdictionem prædicti Vicarii Apostolici benignè respondit, & extentionem petitam concessit.

2. Petente eodem tàm suo, quàm aliorum Missionariorum & Vicariorum Apostolicorum nomine: An Sacerdotes in China, Cochinchina, & Tunkino, attentâ penuriâ vini in dictis regnis possint ad manuum calicisque purificationem inter Missarum solemnia, uti duntaxat aquâ non commixto vino, & humiliter petenti dictam licentiam, sacra Congregatio affirmative respondendo benigne concessit.

3. Cum in terris Infidelium multi reperiantur fideles Sacerdotum operâ destituti, qui sæpe ad Missionarios iter ad Provincias sibi assignatas prosequentes recurrunt, absolutionem à casibus reservatis, aut dispensationem aliquam petentes. Ad petitionem D. Jacobi de Bourges Missionarii ad Cocincinam, & attentâ talium Christianorum necessitate benigne declaravit Missionarios præfatos in dictis casibus uti posse suis facultatibus in solamen dictorum Fidelium, eorum tamen conscientiam onerando, ut facultatibus præfatis utantur solum in casu necessitatis, non autem tanquam Missionarii.

4. Exponente eodem Jacobo de Bourges Christianos plurimos Episcopatuum ab Hæreticis, Mahumetanis, & Gentilibus occupatorum in alias Provincias bella & persecutiones fugiendo profectos esse & proficisci, & præsertim ex Episcopatibus sancti Thomæ, Malacæ & Japoniæ; & petente, ut attentâ difficultate recurrendi ad Vicarios generales seu Gubernatores dictarum Diœcesium pro dimissoriis, liceat Vicariis Apostolicis Chinæ, Cocincinæ, & Tunchini, eos, si ecclesiasticam vitam amplecti velint, sine dimissoriis Clericali caractere insignire, & ad omnes

etiam sacros Presbyteratus quoque Ordines promovere; Sacra Congregatio petitam facultatem concedendam censuit & benigne concessit.

5. Petendo an Missionarii ad Chinam, Cocincinam, & Tunkinum destinati absque approbatione Vicariorum seu Gubernatorum Episcopatuum Indiæ possint excipere fidelium confessiones cum solâ approbatione Parochi; Sacra Congregatio affirmative respondit.

6. Petente an liceat Missionariis partem sui viatici in Corallum convertere, & illud secum ferre majoris commoditatis gratiâ; Et an dicta ratio sit contra decreta mercimoniam Missionariis interdicentia; Sacra Congregatio respondit posse per modum permutationis in hac specie tantum.

7. Proponente an validæ sint absolutiones à casibus reservatis & ab hæresi, quæ dantur à Regularibus missis in Indias à suis Superioribus; Sacra Congregatio inhærens decreto hujus sacræ Congregationis 3. Octobris 1638. edicto à sanctæ memoriæ Urbano VIII. confirmato & approbato; respondit, Regulares vi privilegiorum præcisè non posse tales absolutiones dare, & observandum esse decretum

prædictum suprà enuntiatum.

8. Exponente eodem, magnam esse varietatem inter festos dies observari ex præcepto solitos in Indiis Orientalibus, & illos qui item ex præcepto observari solent Romæ; & humiliter petente ut decreto aliquo generali statuatur quos festos dies observare debeant fideles in China, Cochinchina & Tunkino: Sacra Congregatio respondit eos teneri ad observantiam illorum festorum, quæ sunt de præcepto juxta Kalendarium Romanum, & præcepit, ut constitutio sanctæ memoriæ Urbani VIII. ab iisdem servetur.

9. Petente D. Jacobo de Bourges Missionario ad Cocincinam, suo & Vicariorum Apostolicorum nomine, ut generali decreto statuatur, quos dies jejuniorum observare teneantur fideles in Chinâ, Cocincinâ, & Tunkino; Sacra Congregatio præcipiendo respondit eos teneri jejunia juxta ritum Romanum servare.

10. Petente an Christianis, ne abstinendo ab operibus servilibus diebus Festis sese manifestent Infidelibus, liceat ob metum persecutionis incurrendæ vacare iisdem operibus festis diebus; Sacra Congregatio respondit licere ex causâ adductâ: secluso tamen scandalo.

11. Petente an Christianis in Chinâ, Cocincinâ, & Tunkino commorantibus permitti possit usus comestionis pinguedinis porcinæ Feria sexta & Sabbato, & tempore Quadragesimæ stante penuria olei & butiri in dictis regionibus, & quatenus affirmative respondeatur, petente facultatem cum iis hac in parte dispensandi; Sacra Congregatio respondit facultatem petitam concedendam esse, cum nonnullis conditionibus exprimendis iis personis, quas sacra Congregatio de propaganda fide proponet & Sanctissimo supplicandum esse.

11. Petente an liceat Christianis in dictis regnis Chinæ, Cocincinæ, Tunkini comedere ova & lacticinia diebus jejuniorum, & Quadragesimæ, uti fit in Indiis ex introductâ consuetudine Bullæ Cruciatæ, etiam si illic bulla renovata non fuerit; Sacra Congregatio censuit licere in jejuniis extra Quadragesimam, nisi adsit consuetudo in contrarium: In Quadragesimâ vero etiam licere, si alii cibi non suppetant ad explendam famem & reficiendas vires sine gravi sumptu & incommodo.

# *DECRETA CONGREGATIONIS Particularis à Sanctissimo Domino nostro specialiter deputatæ super rebus Sinarum & Indiarum Orientalium.*

*Habitæ die 14. Decembris 1668.*

CUM sacro-sanctum Eucharistiæ Sacramentum à Christianis infirmis expetitur.

1. Quæritur an Missionariis in prædictorum infirmorum domibus sacrificium Missæ celebrare liceat?

Sacra Congregatio respondit non licere.

2. An hoc procedat etiam cum mortis periculum urget, sed viaticum saltem occulte deferri potest?

Non licere.

3. An licitum saltem sit quando neque publice, neque occulte deferri potest?

Sacra Congregatio respondit tali casu licere, vel in domo infirmi, vel saltem in viciniori domo, si locus decens sit, ne infirmus viatico privetur.

*Die 14. Decembris 1668.*

Cum D. Episcopus Beritensis Vicarius Apostolicus in Cocincinâ Siami commorans in gratiam quorumdam Christiano-

rum Cocincinensium, quorum multi ibidem Sacramentum Baptismi susceperant, Ecclesiam seu Capellam ædificaverit; cum idem Episcopus & Missionarii Vicarios Apostolicos secuti, concessis sibi à sacra Congregatione facultatibus ibi cum eisdem usi fuerint, easque exercuerint, revocatum est in dubium à nonnullis eorum an id licuerit, cum regnum Siami intra Vicariatuum fines non comprehendatur, & de cætero facultatum exercitium extra dictos limites vetitum sit? Quamobrem supplicatur, ut quod Ecclesiam aperuerint, sacra Congregatio approbet, & quæ cum dictis Christianis suis facultatibus utendo gesserunt, tanquam valida confirmet, authoritatemque imposterum libere ibidem exercendi dictas facultates & licentiam benigne concedat.

Quoad primam partem, quod Ecclesiam instituerint, Sacra Congregatio approbavit. Quoad secundam, respondit supplicandum esse Sanctissimo, ut pro confirmatis & approbatis habeat ea quæ Vicarii Apostolici & eorum Missionarii anne annum 1664. in eodem regno intra facultatum sibi à Sacra Congregatione concessarum limites gesserunt: Quæ vero intra earundem facultatum limites

poſt annum dictum 1664. geſta ſunt, Sacra Congregatio declarat approbatione & confirmatione non indigere, quoniam eo tempore in vim decreti Congregationis facultas ipſis tributa fuit alibi propriam Miſſionem collocandi, poſtquam omni ſpe ceciderint proſequendi propriam.

Quibus relatis per Secretarium Sacræ Congregationis Sanctiſſimo Domino noſtro, Sanctitas ſua reſolutionem ſacræ Congregationis approbavit, & confirmavit in Audientiâ habitâ die 20. Decembris 1668.

2. Quoniam nonnulli Chriſtiani variis temporibus in regnum Siami appellentes, accedente illius Regis licentiâ in quibuſdam Campis ipſis à Rege ſpecialiter aſſignatis Eccleſiam ſeu Capellam conſtruxerunt, in quâ olim Parochus à Vicario Malacenſi conſtituebatur ad illorum Chriſtianorum regimen: Et quoniam dictâ Eccleſiâ deſtructâ Vicarius Malacæ in locum ultimi Parochi defuncti alium ſubſtituere noluit, atque Patres Dominicani & Societatis Jeſu ibidem commorantes functiones parochiales & curam paſtoralem in propriis Eccleſiis ſupra prædictos exercuerunt ſine ullâ dicti Vicarii licen-

tiâ: Idcirco quæritur an Vicarii Apoſtolici eorumque Miſſionarii poſſint quoque ipſi in eorum Eccleſiâ ſeu Capellâ quatuor aut quinque milliaribus à dictis Campis diſſitâ, ſacramenta adminiſtrare dictis Chriſtianis, & in eorum gratiam ſuis uti facultatibus, abſque eo quod debeant licentiam à dictis Regularibus petere?

Sacra Congregatio reſpondit licere, præterquam in feſtis Paſchalibus, ſi tamen Regularibus parochialia jura vere competant.

*Die 22. Martii 1669.*

Cum aliquando contingat ut Vicarii Apoſtolici eorumque Miſſionarii, ſive inter eundum ad ſuas Miſſiones, ſive in Europam inter redeundum, morari cogantur in locis quibuſdam in quibus ſunt Parochi conſtituti, & Chriſtiani ibidem commorantes à dictis Vicariis & Miſſionariis Sacramentorum adminiſtrationem petunt.

1. Quæritur in dicto caſu in locis tantum Infidelium dominio ſubditis an poſſint annuere Chriſtianorum petitioni, & cum ſolâ licentiâ Parochi, abſque approbatione Ordinariorum, quos propter diſtantiam loci adire non licet, Sacramenta adminiſtrare?

2. An hoc ipſum eiſdem liceat abſque licentiâ eorumdem Parochorum, caſu taſu tamen gravis & urgentis neceſſitatis ?

3. An dictis caſibus, ſaltem in foro interno poſſint facultatibus uti à Sacra Congregatione conceſſis ?

Sacra Congregatio reſpondit.

Ad primum, poſſe tantum adminiſtrare, quæ Parochus poteſt.

Ad ſecundum, non poſſe, ſed tamen in caſu gravis & urgentis neceſſitatis facultas conceditur.

Ad tertium, ut ad proximum.

*Die 22. Martii 1669.*

Quoniam ab unâ parte in Brevibus Vicariorum Apoſtolicorum conceſſis caſu mortis adminiſtratio Provinciarum defuncto commiſſarum, ſuperſtiti ſeu ſuperſtitibus demandatur: Et ab aliâ parte in facultatibus à Sacra Congregatione ſancti Officii unicuique Vicariorum dictorum pariter expeditis, in caſu quoque mortis facultas datur nominandi alium, eique authoritatem tribuendi, ut dictas facultates exerceat pro tèmpore in eiſdem expreſſo, donec à Sacra Congregatione aliter proviſum fuerit, oriri poteſt in ſubſtitutis à defunctis Vicariis prætentio, ſe non modo facultates Miſſionarii, ſed

sub alterius Principis ditione?

Sacra Congregatio dictis dubiis mature perpensis, & consultis desuper Theologis respondendum censuit. Ad primum negative. Ad secundum affirmative; videlicet eos, qui existentes in locis Regi Portugalliæ subjectis ibidem Bullam Cruciatæ obtinuerint, posse frui illius privilegiis, etiam in locis eidem Regi non subjectis, præterquam privilegiis esus carnium & lacticiniorum.

*Die 7. Maii 1669.*

Quoniam iteratis per sacram Congregationem decretis exercitium Pontificalium extra Diœceses Episcopis ejusdem sacræ Congregationis assignatas prohibetur: Quærit Episcopus Heliopolitanus an dicta decreta intelligenda sint vim suam habere intra fines Europæ tantum: An vero etiam extendantur ad alia loca, perquæ transeundum erit, cum ad suas Ecclesias proficiscuntur?

Sacra Congregatio respondit dicta decreta prohibentia dictum exercitium Pontificalium extendi ad omnia loca, etiam extra fines Europæ.

Quoniam vero dictus Episcopus Heliopolitanus sacræ Congregationi humiliter exposuit, se in Indiis Orientalibus

administrando sacramentum Confirmationis, & sacra olea, quorum maxima erat in illis partibus penuria, consecrando, Christianos illos & Ecclesiasticos plurimum juvasse; idemque addidit se inter redeundum tàm in Insulâ sancti Laurentii, quam aliis in locis reperturum Christianos in eisdem necessitatibns constitutos, & nominatim subditos Regis Galliæ, quibus omnibus nec commode, nec convenienter operam suam & functiones Episcopales negare poterit: Idcirco supplicat ut dictis decretis pro hac vice derogando, ipsi facultas exercendi Pontificalia extra Europam in itinere saltem benigne concedatur. Cujus precibus sácra Congregatio annuens supplicandum censuit Sanctissimo Domino Nostro, ut gesta per dictum Episcopum aliosque Vicarios Apostolicos hac in parte convalidet, & facultatem ei concedat exercendi Pontificalia extra fines Europæ in locis, per quæ in itinere versus suum Vicariatum transeundum erit, dummodo in dictis locis Episcopi non fuerint, & dominio Infidelium sint subjecta, nec propterea ab incœpto itinere cessare.

Quo decreto per Secretarium relato Sanctissimo Domino Nostro in Audientiâ,

die 29. Maii 1669. Sanctitas sua gesta per Vicarios convalidavit & confirmavit, non-obstante prædicto decreto seu decretis, & facultatem petitam concessit.

*Die 7. Maii 1669.*

Quoniam in Litteris Patentibus pro Missionariis qui Vicarios Apostolicos comitati sunt expeditis, unicuique eorumdem Missionariorum injunctum est cui ex Vicariis pareant, & quonam in Vicariatu servire debeant; Et quoniam Episcopus Heliopolitanus asserit hujus mandati praxim difficillimam esse, attento quòd & aeris temperies, aliæque rationes efficere possunt, ut Missionarius in Provinciâ sibi destinatâ commode residere queat, & demum quoniam prudentia & Dei obsequium nonnunquam postulare possunt, ut Vicarii quempiam ex Missionariis dimittant, qui in alio Vicariatu operam cum fructu collocet: Idcirco Episcopus Heliopolitanus supplicat pro facultate eisdem Vicariis concedendâ, operâ Missionariorum indifferenter in suis Vicariatibus utendi.

Sacra Congregatio, attentâ locorum distantiâ, & ne Missionarii aut otiose, aut sine fructu in Vicariatibus sibi assignatis degant, ut iidem Vicarii dictos Missio-

narios in Europam remittere cogantur, aliosque exinde evocare magnis cum expensis, facultatem petitam concedendam censuit, hac tamen adjunctâ conditione, ut similes mutationes non fiant absque causâ, & ut quotiescunque accidunt certioretur sacra Congregatio.

*Die 13. Augusti 1669.*

Cum D. D. Episcopus Beritensis Vicarius Apostolicus Cocincinæ, & Episcopus Heliopolitanus Vicarius Apostolicus Tunkini, aliisque Missionarii ad regna Sinarum & Indias Orientales vota ab ipsis emissa sacræ Congregationis judicio submiserint: Et eadem Congregatio, auditis Theologis ad id specialiter convocatis, laudavit quidem zelum ipsorum & desiderium sublimioris perfectionis; ipsa tamen vota (quidquid sit de illis sigillatim & in ordine ad singulares personas consideratis) collective sumpta & respective eorum qui ad Missiones destinati sunt, justis de causis improbanda & irritanda censuit, & de facto improbat & irritat, & hoc decretum ab illis præcipit observari.

Relato per Secretarium supradicto Decreto Sanctissimo Domino nostro, Sanctitas sua illud approbavit & mandavit à Vicariis Apostolicis in eorum Missionibus

observari. In Audientiâ die 6. Septembris 1669.

*Die* 13. *Augusti* 1669.

Relata instantia R. D. Episcopi Heliopolitani, ut Missionarii qui tam ipsum, quam alios Vicarios Apostolicos ad regna Sinarum ab hac sancta Sede missos secuti sunt & in futurum sequentur, concedatur facultas celebrandi sacro-sanctum Missæ sacrificium super altari portatili in itinere tam eundo ad suas Missiones, quam ab eis redeundo, & in locis Infidelium, ac ubi Ecclesiæ apertæ non inveniuntur; Ne diutius beneficio & solatio spirituali hujus sacrificii destituti remaneant, & ad hoc, ut tali medio Christi fidelibus, qui in prædictis locis Infidelium reperiuntur, adjutorio esse possint. Eminentissimi Patres censuerunt supplicandum Sanctissimo Domino Nostro, ut gratiam petitam concedere suâ benignitate dignetur.

Quo Decreto relato per Secretarium Sanctissimo Dnmino Nostro, Sanctitas sua precibus supradictis annuendo facultatem petitam concessit.

## *De usu Medicinæ Missionariis concedendo.*

DIe 28. Novembris 1641. in Palatio Eminentissimi Spada cum Reverendis Theologis, &c. fuit Congregatio particularis super usu Medicinæ Missionariis apud Æthiopes permittendo. Et collatis opinionibus convenerunt omnes in istis conclusionibus: Primò, in casu necessitatis prædictos Æthiopiæ Sacerdotes Missionarios dispensatione non indigere, & posse mederi: Secundò, extra necessitatem usum Medicinæ non licere, nec iis esse concedendum, saltem generaliter, propter indecentiam & sanctorum Canonum prohibitionem. Tertiò, in casibus singularibus, ob Missionis aliquod spirituale commodum dispensationem super prædicto Medicinæ usu posse concedi, concurrentibus hisce conditionibus, ut videlicet Missionarius sit in arte Medicinæ peritus, ut eam gratis exerceat, ut absque incisione & adustione operetur, ut loco, ubi Missionarius degit, non sint Medici & Chirurgi laïci, vel sint Hæretici, aut Hebræi.

Die 5. Aprilis 1674.

*IN CONGREGATIONE particulari de propaganda Fide habitâ super rebus Synarum, fuerunt relata infrascripta quæsita.*

1. QUæritur utrum poſſint Vicarii Apoſtolici eorumque Miſſionarii uti privilegiis ſuis erga ſubditos alterius Diœceſis, qui ad dictos Vicarios Apoſtolicos ab Ordinariis mittuntur ordinandi.

2. Quæritur utrum poſſint Vicarii Apoſtolici eorumque Miſſionarii uti privilegiis ſuis erga ſubditos, qui ſunt multum ab Ordinariis ſuis diſtantes, & quos habent Vicarii Apoſtolici poteſtatem ordinandi abſque litreris dimiſſoriis Ordinariorum, ſicuti ſunt ſubditi Epiſcopatuum Malacæ, Meliapor, & aliorum, qui ſunt ſubpoteſtate Hæreticorum & Infidelium.

3. Quæritur quid cenſendum ſit de abſolutionibus Religioſorum & aliorum Miſſionariorum datis abſque licentiâ Vicariorum Apoſtolicorum aut eorum Provicariorum in locis dictorum Vicariorum Apoſtolicorum curæ à *S. Sede* & *S.* Congregatione commiſſis; hæ videntur omnino invalidæ, quia Clem. IX. in ſua Bulla quæ

incipit ( Speculatores ) omnes Missionarios, etiam regulares, etiam Societatis Jesu Vicariis Apostolicis penitus subjecit.

4. Quæritur, Cujus sit doctrinam, seu regendarum animarum rationem, in quâ omnes Operarios Evangelicos uniformes esse oportet, præfinire. Hoc decernere videtur absolute necessarium quia unusquisque Missionarius pro arbitrio suo Christianos regit: unde oritur magna diversitas inter ipsos Missionarios, quæ Neophitos nullo modo ædificat.

5. Quæritur, cujus sit Catechistas & privatarum Ecclesiarum Curatores eligere?

6. Quæritur. Utrum Missionarii supradictos Catechistas & Curatores inconsultis Vicariis Apostolicis, aut eorum Provicariis, & absque eorum licentia instituere possint, & si institutio illa à supradictis Missionariis facta valeat.

7. In Tunquino Religiosi Missionarii absque ulla licentia Vicariorum Apostolicorum, aut eorum Provicariorum se se sæpissime ut Visitatores conferunt ad Parochias, quarum Sacerdotes Tunchinenses à Vicariis Apostolicis aut eorum Provicariis Parochi constituti sunt, & ad Provincias, quarum iidem Sacerdotes

ſunt adminiſtratores eaſque perluſtrant tanquam poteſtatem habentes : Quo præmiſſo quæritur quomodo ſupradicti Sacerdotes Tunchinenſes legitime conſtituti à Vicariis Apoſtolicis aut eorum Provicariis ſupradictorum locorum Parochi & Adminiſtratores ſe ſe gerere debeant cum ſupradictis Religioſis, quando ijdem Religioſi prædictas Parochias & Provincias tanquam poteſtatem habentes perluſtrant ; cum tamen nullam habeant à Vicariis Apoſtolicis aut Provicariis id faciendi poteſtatem.

8. Idem quæritur reſpectu Cocincinæ & aliorum locorum Vicariis Apoſtolicis à S. Sede commiſſorum, quando ijdem Religioſi Parochias & Provincias Sacerdotibus Indianis legitime commiſſas abſque ſupradicta licentiâ perluſtrant.

*Reſolutiones.*

Ad primum, annuerunt duntaxat reſpectu Ordinandorum, qui ſuorum Ordinariorum dimiſſorias exhibeant.

Ad 2. Gaudeant impetratis.

Ad 3. Servetur Conſtitutio S. memoriæ Clementis IX. etiam ſub pœnis privationis vocis activæ & paſſivæ atque Miſſonariatus Officii.

Ad 4. Utantur tantum facultatibus jam ſibi conceſſis.

Ad 5. Provisum ante constitutione S. M. Clementis IX. incipientis, Speculatores sub §. Volumus, ac à Decreto Congregationis habitæ 28. Janvarii 1669. sub numero 3.

Ad 6. Detur Decretum emanatum in Congregatione habita sub dicta die nu. 4.

Ad 7. & 8. Regularibus Missionariis nullam facultatem in Provinciis & locis assignatis Vicariis Apostolicis sine istorum licentia competere; ideoque illi non possunt nec visitare, nec se se conferre ad Parochias, in quibus Sacerdotes Tunchinenses & Cocincinenses constituti seu deputati sunt ab ejsdem Vicariis vel eorum Provicariis, minusque ullam prorsus auctoritatem exercere supradictarum Parochiarum annexa seu dependentia, & Sacerdotes, ut præfertur, deputatos vel constitutos, sed hujusmodi Visitationes, correctiones & quoscumque alios actus ad memoratos Vicarios Apostolicos eorumque Provicarios spectare & pertinere, Patres Eminentissimi Decreverunt.

J. Cardinalis Altieri Præfectus.

Locus sigilli S. Congregationis.

F. Archiepiscopus Sydoniensis Secretarius.

*PETRVS LAMBERT Dei & sanctæ Sedis Apostolicæ gratiâ Episcopus Berythensis ac Vicarius Apostolicus Cocincinæ, Laos, Tunquin, Insulæ Haynam aliarumque Insularum, nec-non Imperii Tartariæ &c. juxta breve S.D.N. Alexandri VII. datum Romæ 9. die Septembris anno 1659. Vniversis Christi Fidelibus præsentes litteras inspecturis, salutem in Domino.*

CUm expositum nobis fuisset à Magistro Francisco Deidier Doctore Theologo ac Missionario Apostolico sibi nuper Epistolam à P. Ludovico Fragoso ex familia sancti Dominici missam esse, à quo incusabatur erroris, eâ videlicet causâ, quòd administrantibus nobis sancti Chrismatis Sacramentum, præfatum Religiosum sese in Patrinum offerentem pro officio suo commonuisset, hoc ei per sacros Canones non licere, missum pariter quemdam Theologiæ librum magni apud plerosque in Indiâ nominis auctore Antonio de Quintana Düenas è Societate Jesu, qui typis mandatus est Hyspali in Hispania anno 1643. cujus una auctoritas totum erat hujuscemodi correptionis fundamen-

tum; ait enim 2. tractatu singulari 8. omnes religiosos atque etiam sanctimoniales posse in sacramento Confirmationis fieri Patrinos. Verum præter hanc opinionem alias nimium periculosas dum legendo percurreret, sibi occurrisse, qualis est inter reliquas ea quæ in 2. tract. 5. & 6. singularibus docet, quod omnes Religiosi possunt sacramentum Confirmationis impertire Fidelibus, Minoresque Ordines Regularibus sibi subditis conferre in Indiâ Occidentali & Orientali alijsve Infidelium terris existentibus; idque vi Bullarum Leonis X. & Adriani VI. quas Religiosi sancti Francisci principaliter quidem, omnibus tamen per privilegiorum communicationem indultas esse contendit. Et quoniam hæc opinio falsa est, ut Bullas summorum Pontificum inspicientibus patet; illa vero Decretis Conciliorũ sanctisque Canonum Constitutionibus & Ecclesiæ consuetudini repugnat, sibi operæ pretium videri, ut nostrum super his propositionibus sensum aperiremus, ne quis probabilites ratus sequi eas forte præsumeret. Nos, qui ex debito Pastoralis Officij tenemur juxta monitum Apostolicum attendere doctrinæ, tam justæ postulationi annuentes, prædictas summorum Pon-

tificum Bullas attente legimus, in quarum altera reperitur, quod privilegium confirmandi Religiosis S. Francisci, sed duobus solummodo nominatim in eâ expressis ad eorum vitam, alijsve quatuor ab ipsis aut à Ministro Generali deputandis concessum est. In alterâ vero quam Adrianus VI. Carolo V. Romanorum Regi pro terris ejus ditioni subditis dedit, legitur quod mendicantibus, prȩsertim Fratribus Minoribus omnimodam authoritatem suam in utroque foro, potestatemque exercendi actus Episcopales indulserit, exceptis tamen eis actibus, qui requirunt Ordinem Episcopalem. Tum pari diligentiâ secundi Tractatus singulari 5. & 6. quorum transscripta apud nos manent perlegimus, in quibus ille Autor affirmat omnes Regulares qui mutuâ gaudent privilegiorum communicatione, habere per prædictas Bullas potestatem confirmandi cunctos Fideles, suósque subditos minoribus Ordinibus initiandi in Indiâ Orientali aut Occidentali, aut in aliis Infidelium Terris existentes, quantumvis adsint Episcopi; modo per duas Dietas sive per duos dies tunc à loco ubi fuerint ipsi, distent, secus Episcopalia per Episcopos debent exerceri, nisi urgeat necessitas, qualis esset, inquit,

Confirmationis adminiſtratio pro moribundis, benedictio ſacrorum vaſculorum aut veſtium quibus neceſſario & brevi indiget Eccleſiâ ut decenter divina celebrentur, reconciliatio Eccleſiæ urgens, ne priventur Fideles ſacris Officiis, & ſimilia arbitrio boni viri. Vidimus præterea tum ſacros Canones, quibus cautum eſt, ne Religioſi Patrini fiant, tum ſingulare Octavum 21. ejuſdem Tractatus, quod tranſcribi pariter curavimus, ubi aſſeritur, omnes Religioſos ac Sanctimoniales poſſe ſine cauſa, ſine culpâ, ſine Superiorum aut Ordinariorum licentiâ eſſe in Confirmatione Patrinos: atque omnibus & ſingulis maturo pro rei gravitate judicio diſcuſſis & examinatis prædictam propoſitionem, quæ ſingulariter 5. & 6. tract. 2. continetur, falſam & temerariam condemnamus. Alteram vero quæ ejuſdem tractatus ſingulari 8. habetur, ſacroſanctis Canonibus univerſaliſque Eccleſiæ conſuetudini contrariam declaramus. Atque adeo in futurum providentes ſtatuimus nullum Regularem cujuſvis Ordinis, in Patrinum eorum qui confirmandi ſint in locis curæ noſtræ creditis eſſe admittendum. Ut vero præſens Judicium neminem lateat, Mandamus ut quam pri-

mum ad omnia Jurifdictionis noftræ loca tranfmittatur, univerfifque qui fuerint Religiofis, alijfve quorum intereft, aut intereffe poterit, fignificetur. DATUM Juthiæ in civitate Regia Regni Sian in Regione Concincinarum pridie Kalend. Junii anno 1666.

*Die 3. Septembris 1671.*

IN Congregatione generali fanctæ, Romanæ & Inquifitionis habitâ in Palatio Montis Quirinalis coram fanctiffimo D. N. D. Clemente divinâ providentiâ Papa X. ac Eminentiffimis & Reverendiffimis Dominis S. R. E. Cardinalibus in totâ Republicâ Chriftianâ contra hæreticam pravitatem Generalibus Inquifitoribus à fanctâ Sede Apoftolicâ fpecialiter deputatis.

Factâ fummariâ relatione querimoniarum Epifcopi Berythi Vicarii Apoftolici Cocincinæ contentarum in Scripturis remiffis à Sacrâ Congregatione de propagandâ fide ad fanctum Officium contra fratrem Ludovicum Fragofo Ordinis Prædicatorum Lufitanum Commiffarium fancti Officii in Regno Siami; ex quo idem Epifcopus eum fuo publico Edicto cenfu-

ravit opiniones Antonii Quintanæ Duegna. Societatis Jesu.

*Prima.* Quod Regularibus in virtute suorum privilegiorum liceat administrare sacramentum Confirmationis.

2. Quod Regularibus liceat esse Patrinos in sacramento Confirmationis ; Nec non Edicti publicati per dictum fratrem Ludovicum Fragoso Commissarium sancti Officii, in quo declarat suspectum de fide prædictum Episcopum, prohibendo sub gravissimis pœnis, ne aliquis communicet cum ipso ; unde orta sunt in Curiâ Regis Siam gravissima scandala ; supplicat igitur idem Episcopus, ut corrigatur temeritas dicti Fragoso Commissarii sancti Officii, & ut fiat declaratio Vicarios Apostolicos non subjacere Tribunali Inquisitionis.

Sanctissimus, auditis votis, dixit juste per Episcopum Berythi damnatum fuisse propositionem, scilicet omnes Religiosos ac Sanctimoniales posse sine causâ, sine culpâ, sine suorum Superiorum aut Ordinariorum licentiâ esse in Confirmatione Patrinos.

2. Justè per eundem Episcopum Berythi tanquam falsam & temerarium damnatam fuisse propositionem ; scilicet omnes religiosos

gioſos poſſe ſacramentum Confirmationis cunctis Fidelibus, minoreſque Ordines Regularibus ſibi ſubditis conferre in Indiis Orientalibus & Occidentalibus, aliiſque Infidelium terris; idque in virtute Bullarum Leonis X. & Adriani VI. nam infra damnata fuit, niſi ex alio ſpeciali privilegio, quam ex illis Leonis & Adriani prædictorum Pontificum Regularibus conceſſum fuerit.

Et ut honori & dignitati Epiſcopi Berythi Vicarii Apoſtolici delegati conſulatur, & ſcandalum tam Fidelium, quam Infidelium tollatur, Sententiam à Commiſſario Inquiſitionis Goæ contra Epiſcopum prædictum prolatam declaravit nullam, & juſſit ut declaratio affigatur in iiſdem valvis in quibus Sententia fuit affixa.

Et inſuper mandavit, ne amplius Inquiſitor Goæ utatur operâ Fratris Ludovici Fragoſo in cauſis ſancti Officii, ſed compellat eum recedere ab eis partibus.

Et de omnibus certioretur per Breve Epiſcopus Berythi.

Breve præfatum unà cum copiâ ſummarii relati mittatur Nuntio Luſitaniæ,

qui agat cum Inquiſitoribus illius Regni, ut mandent Inquiſitori Goæ obſervari contenta in præſenti Decreto & Brevi juxta illorum tenorem, & obtentis litteris pro paritione dictorum Ordinum tranſmittat Breve Epiſcopo Berythi.

Procuret habere reſponſum, & certioret de executione.

# CLEMENS PAPA X.

## *VENERABILI FRATRI PETRO Epiſcopo Berythi.*

VENERABILIS Frater, ſalutem, &c. Cœleſtibus & Apoſtolicis conſiliis incitamur, ut pro omnium Eccleſiarum ſtatu impigro vigilemus affectu, ut ſi quid uſquam reprehenſioni inveniatur obnoxium, celeri ſollicitudine, aut ab ignorantiâ, aut præſumptionis uſurpatione revocemus. Lectis ſiquidem litteris tuis, cæteriſque documentis jam pridem per te ad ſacram Congregationem noſtram de Fide propagandâ tranſmiſſis, quibus narrabas, quod cum zelo religionis adductus Theologicâ cenſurâ notaveris

duas propoſitiones ab Antonio Quintana Duegna Preſbytero Societatis Jeſu typis mandatas in libro ab eodem Preſbytero de rebus ad moralem Theologiam ſpectantibus impreſſo; in quarum primâ aſſeritur, omnes religioſos ac ſanctimoniales poſſe ſine causâ, ſine culpâ, ſine Superiorum ſuorum aut Ordinariorum licentiâ eſſe in Confirmatione Patrinos. In Alterâ vero, omnes religioſos poſſe ſacramentum Confirmationis cunctis Fidelibus, Minoreſque Ordines Regularibus ſibi ſubditis conferre in Indiis Orientalibus & Occidentalibus, aliiſque Infidelium terris vi Bullarum Leonis X. & Adriani VI. quidam Frater Ludovicus Fragoſus præſbyter Ordinis Prædicatorum & prætenſus Commiſſarius dilecti filii Inquiſitoris Goæ contra hæreticam pravitatem in Regno Siami abſque ullâ juriſdictione, imo auſu temerario, te, qui Epiſcopali caractere inſignitus; Nobiſque & huic ſanctæ Sedi immediate ſubditus exiſtis, tanquam Tribunali ſancti Officii rebellem & de fide ſuſpectum à Fidelium conſortio & communicatione ſeparaverit; cujus quidem temeritati provide occurrere ſatagentes, habito conſilio, reque mature diſcuſsâ

O ij

in Congregatione sancti Officii cum Venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus in tota Republicâ Christianâ generalibus Inquisitoribus declaravimus juste fuisse per te notatam primam ex prænotatis propositionibus, tanquam contrariam sacris Canonibus universalique Ecclesiæ consuetudini; pariterque juste notatam alteram tanquam falsam & temerariam, nisi & aliis specialibus privilegiis, quam ex enumeratis Leonis X. & Adriani VI. prædecessorum nostrorum Regularibus in prædictis Indiis & locis Infidelium concessa fuerit facultas, Confirmationis sacramentum cunctis Fidelibus, & Ordines minores Regularibus subditis conferendi. Imò, ut honori & dignitati tuæ, & pusillorum scandalo consuleretur, Sententiam prædictam per Fratrem Ludovicum Fragosum prætensum Commissarium sancti Officii contra te latam invalidam atque nullius momenti fore & esse pariter declaravimus. Atque, ut hujus nostræ declarationis, irritationis, atque annihilationis tenor omnibus Fidelibus pateat atque innotescat; Volumus, ut statim atque harum nostrarum Litterarum scripta ad manus tuas pervenerint, earum

tranſſumptum in ejſdem met valvis Eccleſiarum aliiſque locis affigi facias, in quibus injuſte & invalide excommunicationis per dictum Fratrem Ludovicum latam ſententiam affixam fuiſſe perceperis. Inſuper mandavimus dilectis filiis contra hæreticam pravitatem Inquiſitoribus Luſitaniæ, ut dilecto filio Inquiſitori Goæ noſtris verbis injungant, ne amplius operâ prædicti Fratris Ludovici Fragoſi in rebus ad Tribunal ſancti Officii pertinentibus utatur; imò eidem Fratri Ludovico arctè præcipiat, ut quatenus adhuc in locis Regni Siami reperiatur, ab illis recedere cogat, nec eum ad dicti Regni loca accedere, aut redire permittat, de quorum executione dicti Inquiſitores Luſitaniæ Nos quam primum certiorent. Hæc omnia hiſce noſtris litteris tibi duximus denuntianda, ut ſalvâ dignitate tuâ, illam proſequaris in animarum converſionem viam, quam hactenus ſectatus es. Neve offendiculis & ſcandalis iſtis, quæ generis humani hoſtis piorum Sacerdotum conantibus interponere ſtudet, commotus animi fervorem tui relaxes; ſed noſtris potius paternis monitis incitatus, ferventius in Fidei Catholicæ propagatione deſudes, ut ubi multa quidem Meſſis eſt,

Deo adjuvante, Operariorum paucitas minime noceat. Tibique interim; Venerabilis Frater, Apoſtolicam benedictionem peramanter impertimur. DATUM Romæ apud ſanctam Mariam Majorem; ſub Annulo Piſcatoris die 11. Septembris 1671. Pontificatus noſtri anno ſecundo.

*EMINENTISSIMI DOMINI Cardinalis Antonii Barberini S. Congregationis de propaganda Fide, Præfecti Epistola consolatoria nomine ejusdem sacræ Congregationis ad Illustrissimum & Reverendissimum Dominum Petrum Lambert Episcopum Berythensem.*

ILlustris & Reverendissime Domine uti Frater. Gratissime atque jucundissime appulerunt ad sacræ hujus Congregationis manus litteræ tuæ mense Septembri 1669. conscriptæ, quæ de progressu Religionis Catholicæ in Tunchino & Cocincina, de Sacerdotibus Indigenis à te ad Sacros Ordines promotis, de eorum demum dotibus animi, zelo & laboribus enarras, summopere exhilararunt omnium nostrûm mentem, & animum. Hortamur itaque te in Domino Jesu Christo illam in curam pronus incumbas, ut ex Indigenis quamplurimi & quamoptimi Sacerdotes initientur ut crescat per dignos operarios Domini vinea in ultimis Orientis partibus per tot labores & expensas plantata; idque tibi persuadeas, tuos illos tuorumque conatus & labores, Christianorum illorum statum, conditionem & ca-

lamitates tantopere sanctissimo Domino nostro & S. hujus Congregationis Patribus cordi esse, ut nihil illis jucundius accidere possit, quam cum vobiscum recte agi intelligit; nihil vero acerbius, quam cum vos affligi ulla ratione percipit. Vestris itaque gaudiis communicamus, sed vestris quoque fletibus non minus libenter comploramus: Et quoniam Regionum longinquitas impedimento est, quominus prompta malis remedia admoveri hinc valeant; reliquum est ut vos orationibus & Verbi Dei prædicationi instantes æqui bonique consulatis, quæ sive per Episcopum Heliopolitanum Confratrem tuum dignissimum, sive per vestros Procuratores, & ab hac sancta Sede scribuntur & exponuntur & religiose observetis S. Matris Ecclesiæ Romanæ mandata & jussa, ne in varios labyrinthos incidatis, in quos inimici hominis astutia pertrahere nititur eos, qui Apostolicæ Sedis consilia non expectantes, aut, quod est pejus, negligentes, suæ mentis documenta tanquam ducem sequuntur. Vos vero non sic, sed secuti estis monita salutis vestræ, quæ ab hac sancta Sede emanarunt, & reportabitis finem obedientiæ vestræ animarum vestrarum salvationem, & æternæ in cœ-

lis gloriæ præmium, modo in inchoato opere, ſalubriter in eodem, uti ſperamus & exhortamur, generoſe conſtanterque perſeveraveritis uſque ad finem. Quæ tibi vero tuiſque in iſta Miſſione ſociis hic ſcribimus, eadem Populis quoque tuæ tuorumque curæ ab hac S. Sede commiſſis exponas, exoptamus, ut una vobiſcum & ipſi intelligant quæ ſint miſericordiæ viſcera in ſummo Pontifice, Eminentiſſimis hiſce Patribus, & ſacra Sede Apoſtolica univerſa. Exhilarate itaque mentem noſtram expoſitione ſtatus & conditionis rerum veſtrarum, & occaſionem porrigite nobis ſic de vobis bene merendi, ut & obedientiam ſanctæ Eccleſiæ prompti exhibeatis, & juſſa non gravatim exequamini & agnoſcatis ſanctam Romanam Eccleſiam omnibus omnia fieri, dolentibus condolere, lætantibus collætari, indigentibus & afflictis opitulari, ſi poſſit; compati, ſi non poſſit; & cœleſti ſponſo commendare filios, quos aut difficulter parturit, aut ægrè enutrit, & gemere ſi eoſdem preſſos periculis cernat, quibus eruendo ſe imparem agnoſcat. Hæc eloquere & exhortare, & plebi Dei continenter expone, ut intelligant nullum illos Patrem aut Matrem majori dilectione

O v

complecti, quam illos, vosque omnes S. Sedes Apostolica prosequatur. Tibi vero & tuis omnibus, plebi tibi commissæ summus Pontifex peramanter sanctam Apostolicam benedictionem impertitur; nosque tibi & Missionariis & Populo universo fausta quæque & fœlicia à Domino comprecamur. Romæ 27. Aprilis 1671. Amplitudinis tuæ, Uti Frater Cardinalis Antonius Barberinus Præfectus. S. Archiepiscopus Cæsareæ Secretarius.

*Lettera del Eminent. Card. Altieri à Illustr. Vescovo di Berito.*

ILlustre e Reverendissimo Monsignore come fratello, E benignamente condescesa la santita di nostro Signore di far gratia cosi à v. s. come à gl, altri Vicarii Apostolici suoi colleghi di poter communicare à Claudio-gayme Missionario in Bantam nell isola di Java, o ad altri suoi successori tutte quelle facolta delle quali pûo aver bisogno e per il suo esercitio, e per l. ajuto spirituale di quell, anime sanando colla pienessa della sua potesta quel si sia di fetto special-mente quello di non esser quest, Isola compresa ne i termini della Missione cosi dilei come de gl, altri vescovi e Vicarii Apostolici di costi; si vaglia di questo aviso oportunamente, ed il Signore la prosperi. Roma 2. Octob.1673. di V.S come fratello P. Card. Altieri Prefetto, &c. Urbano Cerri prosegretario.

# CAPITA

## QUIBUS IN RELATIONIBUS Miſſionum Miſſionariorum eſt ſatisfacere diſtinctè reſpondendo ſingulis eorum.

### *Magnitudo & qualitas Miſſionis.*

1. QUæ ſit longitudo & latitudo Provinciæ ſeu Miſſionis, & quot dierum ſpatio percurritur, ſeu quot milliaria Italica ſeu leucas contineat quibuſve Provinciis vicina?

2. An Regio ſit montuoſa, an aſpera, an verò plana & facilis, quæ à Miſſionariis percurratur?

3. An ſit rebus ad victum neceſſariis abundans? an è contra ſterilis, infœcunda, & multis indigens quæque ſit conditio aëris, ſaluber, an gravis & inſalubris?

4. An cives & exteri illic degentes fruantur pace? an verò bellorum motibus & militum incurſionibus & vexationibus perturbentur, & maximè Chriſtiani?

5. An ſit ibi cum exteris commercium & mercatura, quo facilius & abſque ſuſpi-

ctione queant Miſſionarii quaquaverſum diſcurrere & Chriſtianis ibi opitulari?

6. Cui principi Regio obediat, quove idiomate opus ſit, ut quis ab incolis intelligatur, & cum iis agere queat?

7. An Religionis Catholicæ exercitium, adminiſtratio Sacramentorum, prædicatio verbi Dei Fidelibus atque etiam Infidelibus ibi permittatur, & quibus conditionibus & legibus?

8. Quæ ſint Miſſiones atque Diœceſes viciniores, ex quibus, cum opus poſtulaverit, promptius haberi poſſit opportunum auxilium, & qua difficultate atque facilitate regioni ſubveniatur?

9. Quæ ſint loca, & quod ſit ſingulorum locorum nomen, ad quæ Miſſio & Provincia extenditur?

10. Quis horum locorum ſit dignior, & quis opportunior ex quo neceſſitatibus ſpiritualibus illorum Chriſtianorum ſubſidia ſubinde mittantur?

11. Quæ ſit ſedes eorum qui provinciam in civilibus regunt,

12. Quibus in locis ſit liberior ſecuriorque uſus Religionis & Miſſionalium functionum exercitium, & ſingula loca nominentur cum ſuis difficultatibus atque commodis hac in parte, ideoque inter ea

recenſendum in ſingulis exprimatur?

13, Quis ſit familiarum Catholicarum numerus?

14. An inter Catholicos quiſpiam ſit magnæ notæ, magni zeli, qui ſua authoritate, cum opus fuerit poſſit rei Chriſtianæ opem ferre?

15. An illa in regione ſive provincia, ſit ulla Eccleſia Cathedralis & reſidentia Epiſcopi, ſive an ibi vel in quo loco viciniori fundari poſſit ſi abeſt?

16. Quos reditus habeat, & quæ inde Epiſcopo emolumenta proveniant, ſeu an fundari reditus poſſit & quo pacto?

17. An menſa Epiſcopalis habeat ſeu habere poſſit redditus ſtabiles, & quos, quo in ſtatu ſint, & quæ ſit eorum conditio?

18. An ſit domus Epiſcopalis; quæ & an ſit permiſſum in ea commorari liberè ac paſtoralem curam exercere?

19. Qua vigilantia & cura vacet functionibus ſacris Epiſcopus ſi quis adeſt, an populis ſit gratus, & quantæ apud eos auctoritatis, & an ſit ſolitus in ſua reſidentia manere?

20. An ingerat ſe rebus politicis & tractet negotia ſtatus, quæ omnino ſunt aliena à ſuo officio & cura ei commiſſa,

& à Sacræ Congregationis mente.

21. Quem ritum ſequuntur illius Religionis Catholici, an ſit approbatus ab Eccleſia, & ſi approbatus, an errores & abuſus irrepſerint?

22. An ſit error in fide & abuſus in Religionis exercitio, & quæ?

23. An & quæ ſit præcipua cauſa & origo talium errorum & abuſuum?

24. Quod remedium quæve ratio iniri poteſt ut ſimiles errores atque abuſus eradicentur?

25. Quæ ſit ſecta Infidelium, ſive etiam ſchiſmaticorum?

26. Qui ſint eorum ritus & errores?

27. An inter eos ſit quiſpiam cæteris doctior, & quo pacto adduci poſſit ad agnitionem veritatis ad amplectandam fidem, & ad favendum benevolè Catholicis?

28. An ſit liber quiſpiam eorum errores continens & docens, cujus hic notitia non habeatur? & quacumque demum lingua ſcriptus ſit huc mittatur, cum primum tuto fieri poterit, ut refellatur: ſi liber haberi nequit procuretur illius tranſſumptum & huc mittatur.

29. An ſit liber cujuſpiam Catholici in illis partibus magni nominis & famæ,

quem hic non habeamus ? similiter huc transmittatur usui Ecclesiæ futurus.

30. Quæ & quot sint Ecclesiæ Catholicorum sive in urbibus, sive ruri, & in agris locisque desertis ? Item quæ & ubi sint Ecclesiæ schismaticorum?

31. Si in agris collocatæ quantum distent ab urbibus & locis cultis ?

32. Qui sit singularum Ecclesiarum titulus, & cui Sancto dedicantur ?

33. An in illis animarum cura exerceatur nec-ne ?

34. Quis curam habet, quis sacra administret & Officia divina decantet? quæ loci decentia ?

35. An Ecclesiæ sint ex saxo aliave materia constructæ ?

36. Quæ sit illius præsens conditio & status ?

37. Huc mittatur Catalogus supellectilis sacræ illiusque conditio, maximè ex qua materia confecti calices.

38. An sanctissimum Sacramentum palam cum lampade, accensa & decenter asservetur ? An verò clam & qua decentia ?

39. An conserventur olea sacra & qua decentia ?

40. An Catholicæ Eccęsiæ habeant an-

nexam habitationem domumque quam is incolat qui illarum curam habet?

41. An habeant ullos reditus proprios, quo pacto fundatos & ſtabilitos?

42. An ſint bona illarum ſtabilia? an mobilia, an certa, an incerta, quos annuatim fructum rependant?

43. An ipſæ Eccleſiæ bona ſua poſſideant? an vero ab Infidelibus & Schiſmaticis occupata & uſurpata detineantur, an ratione aliqua poſſint recuperari?

44. Quis ſit numerus Sacerdotum & operariorum ſacrorum, diſtinguanturque ſæculares à regularibus, Miſſionarii ab his qui Miſſionarii nequaquam ſunt?

45. Quibus ſpeciatim in locis unuſquiſque eorum reſideat, & quam longè ab invicem ſeu Metropoli abſint & quo verſus?

46. An & ſub cujus obedientia Regulares vivant? quod ſit inſtitutum & religionis quam profitentur nomen & titulus?

47. An habeant Conventus plenos? an verò hoſpitia duntaxat?

48. Quæ ſit Conventuum ſeu hoſpitiorum conditio, diſtantia, ſitus?

49. Quis ſit Religioſorum numerus? Sacerdoteſque à Laïcis diſtinguendi.

50. Quæ sit munditics & decor Ecclesiæ quam habent?

51. An Choris divinisque Officiis intenti sint? an alio distrahantur & quibus rebus & exercitiis, seu domi, seu foris, seu ruri, seu in urbe occupentur?

52. An communem vitam agant, & Religiosum institutum perfectè observent? an separatim habitent? an in eadem domo, & sub eodem tecto?

53. An boni malive nominis sive apud Fideles, sive apud Infideles? & sigillatim de uno quoque id specificetur.

54. An habeant reditus & quos? an vivant ex eleemosynis, aut quavis aliena ratione?

55. An quidquam justè sive injustè, seu exigunt, seu recipiunt ex administratione Sacramentorum, & quodnam sit?

56. Distinctissimè scribatur nomen, ætas, patria, doctrina, pietas, vitæ bonæ, malæque exempla eorumdem singulorum in individuo maximè, qui sint quieti, tranquilli, pacifici, moderati, & modesti, & qui inquieti, factiosi, ignei, turbulenti, à Clero aversi, & privilegiorum pertinaces & obstinati deffensores, & propugnatores: In primis vero qui negotiis sæcularibus aut politicis se immiscent, & hæc

in ſingulis diligenter notanda & ſcribenda.

57. Ex quo tempore quivis ex illis in illa Miſſione Conventu hoſpitiove verſatur?

58. Quanto fructu laboret in illa Provincia, loco & Miſſione, & quibus occupationibus detinetur?

59. An otioſus in reſidentia deſideat; nec ad remotiora loca & magis incommoda applicata ſollicitudine ut debet ſe extendat, ut miſeris illis qui longe abſunt opem ferat, quoties in anno hæc loca peragrat?

60. Eadem de Præfecto & Superiori illius Miſſionis ſcribenda, & maximè quo zelo quaque prudentia munus ſuum obeat.

61. Quam ſit gratus tam Religioſis ipſis quam ſæcularibus?

62. Eadem relatio danda eſt de Preſbyteris ſæcularibus, Clericiſque illis in partibus exiſtentibus, enarrandaque nomen, patria, ætas, ſtudia, litterarum, omneſque dotes animi corporiſque, maxime ſi quieti an inquieti.

63. An habeant reditus, ſeu patrimoniales, ſeu Eccleſiaſticos?

64. Qui ſint eorum mores, quæ talenta, quibus rebus apti, quibus inepti?

65. Quibus rebus inpræſentiarum occupatur, & quibus olim detentus & quo modo tunc ſe geſſerit?

66. An ſit S. Congregationis Miſſionarius, & quo in loco commoratur?

67. Quanto fervore & ſtudio munus ſuum obeat & exerceat?

68. An frequenter viſitet loca ſuæ Miſſionis ut miſeris opem ferat?

69. Quis illius ſit zelus erga fidei propagationem & ſalutem animarum?

70. Quanta ſit prudentia & diſcretione inter agendum, maximè cum Infidelibus, & quam ſit gratus & acceptus, & quam ingratus & moleſtus?

71. An ſeſe ingerat negotiis politicis, tantoperè à S. Congregatione prohibitis, etiam ſi id faciat ſpecie boni?

72. An in muneris ſui exercitio duci ſe patiatur ſtudio partium, an acceptatione perſonarum, an factionibus, an ſit lucri avidus, an commoda privataſque rationes ſpectet?

73. Si qui illius religionis ſint Preſbyteri abſentes, detur exacta notitia nominis, ætatis, talentorum, ubinam ſint, quoque modo occupati?

74. Si in Miſſione atque Provincia deprehendantur juvenes in habitu clericali,

ſive etiam ſæculari, qui mores, genium, & inclinationes ad munia Eccleſiaſtica præ ſe ferant, modo promoveri poſſint ad ſacrum Preſbyteratus ordinem, & cum fructu in ſalutem animarum impendi, ſcribatur huc ætas, patria, parentes, & dotes ſingulorum.

75. An & ubi ſtuduerint & quantum in litteris profecerint?

76. An ipſorum patria ſub Principis infidelis ditione ſit?

77. An in quopiam Miſſionis loco ſit, ſeu eſſe poſſit Monaſterium quodpiam Monialium, quod ſit illius inſtitutum, & ſub cujus cura ſit?

78. An obſervent perfectam clauſulam & vitam communem degant?

79. An emittant vota Religioſa, an vero locus ſit merum (quod vocant) Conſervatorium, hoc eſt mulierum ſæcularium pia Congregatio?

80. Detur denique notitia rerum præteritarum ad fidem ſpectantium, maxime quæ circa fidem propagandam geſtæ fuerunt à viginti aut triginta annis proximè retroactis.

81. An ab illo tempore ullus progreſſus factus ſit, & ſi factus, & ſi nunc quoque fiat, & quis; quave ratione fieri poſſit

major, si vero res in deterius ierit, causam mali indicet.

82. Considerentur diligentissimè necessitates, indigentiæ spirituales & quibus rebus opus habent Infideles & Missio; quæque necessitates & remedia possint admoveri & distinctissimæ enarrentur modi & rationes, quibus obviam malis eatur, quibus accepta damna resarciantur & fidei augmentum atque propagatio promoveatur.

83. Zelus quoque Missionarii proximæ & vicinæ Missionis loca complectatur: ut quis sit in illis fidei & rerum ad religionem spectantium status; & necessitatum Regionis, ut exactam mittat relationem ad sacram Congregationem; qui si animadverterit rationem januamque patentem, qua introduci aut dilatari possit Evangelii prædicatio, maxima ad sacram Congregationem sinceritate scribat, & modos suggerat, quibus facile res executioni mandetur.

## *ANIMADVERSIONES.*

OMnibus hisce interrogationibus sigillatim uti numeris suis notantur, respondendum est, sed omnes eas notitias

oportet esse extra judiciales: Neque enim ea est mens hujus Sacræ Congregationis, ut hinc concessa censeatur facultas ulla seu Visitatoris Officium auctoritatemque exercendi, neque quemquam examinandi, neque ullum jurisdictionis actum exercendi in personas hic expressas. Verum ea est mens & Sacræ Congregationis intentio, ut Missionarius secreto & absque strepitu ullo, tanquam aliud agens se reddat de his rebus certiorem & earumdem postmodum veritatem Romam sincerissime conscribat.

Postquam quis in Missionem appellit, res has adamussim resciat & rescribat, & singulis responsionibus præcisè respondeat, ne una quidem particula prætermissa. At verò sequentibus annis relationes quas annuatim Sacra Congregatio ab Episcopis & Missionariis postulat, non necesse est esse tam amplas, cum jam primis relationibus innotuerint, sed scribatur quæ mutatio sit facta & quid novi sit insecutum; præsertim si de personis sit sermo, non modo ut perspiciat an eorum iidem diversique sint mores, talenta, exercitia, munia, verum etiam an quispiam novus supervenerit, ut illius quoque mores & conditio dignoscantur.

Et

Et quamquam in his interrogationibus de Provinciâ dumtaxat Missionarii propria mentio fiat, noverit tamen multo gratissimum Sacræ Congregationi futurum si scribat ea quoque omnia quæ novisse poterit etiam in provinciis Missionibusque suæ proximis.

Quidquid porro his interrogationibus insertum continetur, progressum Missionis & profectum spiritualem animarum dumtaxat spectat, neque alius est sacræ Congregationis scopus. Quapropter quemadmodum ab una parte severissimè & rigorosissimè prohibet suis Ministris sese negotiis sæcularibus, maxime ad res politicas pertinentibus, immiscere: Ita ingratissimæ futuræ sunt illi relationes illæ Missionariorum, quibus res hujusmodi immixtæ fuerint: Abstineant ergo hujusmodi vellevitur attingere.

Verumtamen cum notitia situs regionum, morum, consuetudinum, quibus in iis Regionibus vivitur, plurimum conducere potest, sive ut introducantur, sive ut conserventur operarii Evangelici: quoties abest periculum persecutionis, suspicionum & timorum eorum qui respublicas administrant, non fuerit alienum res sequentes diligenter conscribere.

P

1. Deſcribendus eſt ſitus Provinciæ, Urbis & Miſſionis, cum ſuis limitibus & vicinis, locorumque diſtantiis ab omni parte, ſive ad Orientem, ſive ad Occidentem, ſive ad Septentrionem, ſive ad Meridiem.

2. Quam ſit Regio, Miſſio, Urbs & Provincia vicina mari, an ſit Mediterranea, quæ ſint loca præcipua ejuſdem, qui montes, quæ flumina, qui lacus inſigniores, ſi quæ poteſt fieri aut haberi ulla delineatio geographica, mittatur, neque refert ſi pulchrè & affabrè picta ſit, modo diligens & accurata ſit & locorum ſitum diſtantiamque appoſitè denotans.

3. Quoties vero inter narrandum incidit Miſſionarius in nomen urbis locique cujuſpiam Provinciæ, non omittat deſcribere & declarare illius nomen & ſitnm ut ſupra.

4. An loca ſint in plano poſita? an in montibus mediis? an in cacumine?

6. An ſit portus, an commercium vigeat, an eo exteri magno numero conveniant?

# *DE ETHNICOR. MATRIMONIIS quando ad Fidem convertuntur.*

# PIUS PAPA V.

*Ad futuram rei memoriam.*

ROmani Pontificis æqua & circunſpecta prudentia, ne ea quæ pro ſalutis Indorum noviter ad fidem converſorum, & convertendorum directione ſanciri debent & terminari, alicujus dubitationis ſcrupulo ſubjaceant, declarationibus & aliis opportunis conſuevit providere remediis. Cum itaque, ſicut accepimus, Indis in ſua infidelitate manentibus plures permittantur uxores, quas ipſi etiam leviſſimis de cauſis repudiant: hinc factum eſt, quod recipientibus baptiſmum permiſſum ſit manere cum ea uxore, quæ ſimul cum marito baptizata exiſtit. Et quia ſæpe numero contingit illam non eſſe primam conjugem; Inde tam Miniſtri, quam Epiſcopi graviſſimis ſcrupulis torquentur, exiſtimantes illud non eſſe verum matrimonium; ſed quia duriſſimum eſt ſeparare eos ab uxoribus cum quibus ipſi Indi baptiſmum ſuſceperunt, maximè quia dif-

ficillimum foret primam conjugem reperire: Ideo nos ſtatui dictorum Indorum paterno affectu benignè conſulere; atque ipſos Epiſcopos & Miniſtros hujuſmodi ſcrupulis eximere volentes, motu proprio & ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, ut Indi (ſicut præfertur) baptizati, & in futurum baptizandi cum uxore, quæ cum ipſis fuerit baptizata, & baptizabitur remanere valeant, tanquam cum uxore legitima, aliis dimiſſis, Apoſtolica auctoritate tenore præſentium declaramus matrimonium hujuſmodi inter eos conſiſtere, ſicque per quoſcumque Judices à Commiſſarios quavis auctoritate fungentes, ſublata eis & cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate & auctoritate, judicari & definiri debere: Et ſi ſecus ſuper his à quocumque quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum ac inane decernimus, nonobſtantibus quibuſvis Apoſtolicis atque in Provincialibus, & Synodalibus Conciliis editis generalibus vel ſpecialibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. DATUM Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris, die 2. Auguſti 1571.

*DAMNATIO CONTRACTVVM Societatis, securitatem capitalis, aut certam responsionem, aut aliter usurariam pravitatem continentium.*

# SIXTVS EPISCOPVS.

*Servus servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.*

DEtestabilis avaritiæ ingluvies, & insatiabilis lucrandi cupiditas malorum omnium radix, usque adeo excæcat mortalium mentes, ut multi nimis avide lucro inhiantes, in laqueos & insidias diaboli misere incidant; irrepit enim versutè & callidè antiquus humani generis hostis per varios dolos & fallacias, & incautos homines quæstus dulcedine captos ac delinitos opprimit, atque eo perducit, ut seipsos in usurarum voraginem, Deo hominibusque odiosam, sacris Canonibus damnatam, & Christianæ charitati contrariam, fœde immergant, & dum vanas & terrenas divitias quærunt, veras ac cœlestes amittant, sicuti nuper cum magno dolore audivimus, hoc malum in quasdam provincias pervasisse. Nam multi spe-

ciosum & honestum Societatis nomen suis fœneratitiis contractibus prætexendo, hoc quasi colore & fuco, mercatoribus, opificibus, negotiatoribus, & aliis personis super eorum mercibus, officinis, tabernis pannariis, aliisque rebus ac bonis, pecunias suas, aut alias res, societatis nomine conferunt; vel greges, armenta, aut certa animalia agricolis, seu terrarum cultoribus, pastoribus, aliisque rusticis, seu quibusvis personis dant in societatem sive ad soccidam, ut vocant, eâ conditione, ut sors ipsa, seu caput, quod vulgo dicitur capitale, tam pecuniarum quam animalium & rernm, salvum semper & integrum existat pro eo, qui non industriam aut operas, sed pecunias, animalia, aut res hujusmodi in societatem confert, utque omne periculum & damnum ab altero socio recipiente sustineatur, contra æquitatem & societatis justitiam diversimode paciscuntur; eosdemque socios cum quibus contrahunt, plerumque pauperes & egenos, suoque labore & industria victitantes, ad sortem seu capitale restituendum, quicumque tandem casus, & rerum eventus consequatur, pacto & obligatione obstringunt, simulque etiam certam lucri quantitatem & summam, veluti

tot pro quolibet centenario, in singulos annos aut menses per alterum socium, durante societate solvendam, præfiniunt ac præscribunt; eamque summam & quantitatem non subductis rationibus accepti & expensi, quod in codices seu tabulas societatis referri solet, neque facto calculo vel computo, pro ipsius lucri vel damni modo variabilem, sed laborem & curam computandi & calculandi se invicem remittere & renuntiare asserentes, quovis tempore certam constituunt.

§. 1. Proinde nos, qui hoc potissimum munus, nostræque pastoralis sollicitudinis maxime proprium arbitramur, ut gregem dominicum fidei nostræ creditum ab omni offensione, & æternæ vitæ discrimine tutum, in viam salutis, cœlesti gratiâ adjutrice dirigere nitamur, hujusmodi morbi contagionem antequam in communem fidelium perniciem latius serpat, quantum Deo favente possumus, tollere cupientes, de attributæ nobis Apostolicæ potestatis plenitudine hac nostrâ perpetuò valiturâ constitutione damnamus & reprobamus omnes & quoscumque contractus, conventiones & pactiones post hac ineundos, seu ineundas, per quos seu quas cavebitur personis, pecunias, ani-

malia, aut quaflibet alias res focietatis nomine tradentibus, ut etiamfi fortuito easu quamlibet jacturam, damnum, aut amiffionem fequi contingat, fors ipfa feu capitale femper falvum fit, & integrum à focio recipiente reftituatur, five ut de certâ quantitate vel fummâ in fingulos annos aut menfes, durante focietate refpondeatur. Statuimufque hujufmodi contractus, conventiones, & pactiones, ufurarios & illicitos poft hac cenferi debere; atque in pofterum non licere iis qui pecunias vel animalia, aut alias res in focietatem tradent, de certo lucro, ut præfertur, percipiendo, inter fe pacifci & concordare; neque etiam, five ad certum five ad incertum lucrum convenerint, focios qui ea recipient, ad fortem feu capitale falvum & integrum, ubi illud cafu fortuito perierit, vel amiffum erit, reddendum, quovis pacto aut promiffione fibi obligare: Ac ne de cætero focietates ineantur fub hujufmodi pactis & conditionibus, quæ ufurariam pravitatem fapiunt, diftricte interdicimus & prohibemus.

§. s. Sed potius cuncti noverint focietates hujufmodi, cum in pofterum unus pecuniam, animalia aut àlias res & bona, alter vero operam vel induftriam confert,

purè, sincerè, bonâ fide sicut decet, justis & æquis conditionibus & pactis, secundum juris dispositionem, & sine ullâ prorsus fraude, palliatione, aut usurariæ pravitatis labe aut suspicione, ineundas seu contrahendas esse; Ita ut non ad certam summam aut quantitatem, ab omni periculo & damno, ut præfertur immunem, lucri nomine persolvendam, neque ad capitale, si casu fortuito perierit, restituendum, socius accipiens teneatur. Si verò finitâ societate ipsum capitale extat, ei qui illud in societatem contulerit, restituatur, nisi socio recipienti fuerit communicatum, aut aliter inter ipsos contrahentes, fructus, expensas & damna in commune conferant, prout æquum & justum fuerit, sibi communicent atque dividant.

§. 3. Decernentes, si qui contractus, conventiones, & pactiones in futurum contra nostram hujusmodi prohibitionem de facto initi fuerint, nullam ex eis, tanquam per hanc eandem constitutionem nostram, damnatis & reprobatis, etiamsi juramento, aut in forma cameræ Apostolicæ, vel alias quomodolibet roborati fuerint, obligationem civilem aut naturalem oriri, nullamque actionem realem aut personalem, aut Judicis officium, neque aliud

quodcumque jus cuiquam competere, neque quoad sortem, seu capitale integrum recuperandum, quod casu fortuito perierit, aut amissum erit, neque quoad certas summas & quantitates in singulos annos aut menses lucri socialis nomine promissas.

§. 4. Si qui vero in posterum sub prædictis conditionibus & pactis contrahere temerè præsumpserint, aut prætextu similium contractuum, conventionum, & pactionum societatis nomine initorum, qui hucusque durant, ad exactionem dictæ sortis, seu capitalis, sive illius pretii & valoris, postquam illud in toto vel in parte casu fortuito perierit, aut amissum sit, aut certæ summæ vel quantitatis annuæ, aut menstruæ sibi promissæ in futurum, procedere ausi fuerint, eos universos & singulos in pœnas contra manifestos usurarios & fœneratores, à sacris Canonibus & Conciliis generalibus latas & promulgatas, eo ipso incurrere, & contra illos uti manifestos usurarios & fœneratores, viâ juris, aliisque opportunis remediis procedi posse & debere.

§. 5. Sicque ab omnibus censeri, & ita quoad præmissa universa & singula per quoscumque Judices & Commissarios,

quâvis authoritate fungentes, etiam causarum palatii Apostolici auditores, ac S. R. E. Cardinales, sublatâ eis & eorum cuilibet, quâvis aliter judicandi & interpretandi facultate & authoritate, ubique judicari & definiri debere, nec-non irritum & inane, si secus super his per quoscumque quâvis authoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

§. 6. Mandamus vero universis & singulis locorum Ordinariis, per quascumque provincias & regna Christiani orbis constitutis, & quibusvis nostris & sedis Apostolicæ, etiam de latere Legatis ac Vicelegatis, cæterisque officialibus, præsertim provinciarum & locorum status nostri Ecclesiastici, ut in suis quisque civitatibus, Diœcesibus, Provinciis, & Locis præsentem nostram constitutionem publicari, & inviolatè observari curent, & contra personas, quæ in futurum, præter & contra prohibitionem hanc nostram pacisci, aut exigere ausæ fuerint, tanquam publicos usurarios & fœneratores per viam accusationis vel denunciationis, aut inquisitionis, & ex mero officio, prout eis videbitur procedant, reosque culpabiles repertos condignis pœnis, ut supra dictum est, afficiant; invocato etiam, si opus

fuerit, auxilio brachii sæcularis.

§. 7. Nonobstantibus quarumcumque civitatum, provinciarum & locorum, juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis & consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis & litteris Apostolicis, quorumcumque tenorum existant, sive per modum constitutionis & legis perpetuæ quomodolibet concessis, etiam sæpius approbatis & innovatis; quæ omnia nolumus cuiquam de cætero suffragari.

§. 8. Ut autem præsentes litteræ ad omnium notitiam deducantur, neve aliquis earum ignorantiam prætendere valeat, volumus ut illæ in valvis basilicarum principis Apostolorum de urbe, & S. Joann. Lateranen. & Cancellariæ Apostolicæ, atque in acie campi Foræ, per aliquem ex nostris cursoribus de more publicentur, dimissis & affixis earum exemplis, in acie & valvis prædictis.

§. 9. Earumque transumptis, etiam impressis, notarii publici manu subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides in judicio & extra illud, ubique gentium & locorum habeatur quæ eisdem originalibus haberetur, si essent exhibi-

tæ vel oſtenſæ. Nulli ergo, &c.

DATUM Romæ apud Sanctum Marcum, anno incarnationis Dominicæ milleſimo quingenteſimo octogeſimo ſexto, 12. Kal. Novembris, Pontificatus noſtri anno ſecundo.

*Anno à Nativitaee Domini 1586. indictione 14. die vero 25. menſis Octobris, Pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto Patris, & D. N. D. Sixti divinâ Providentiâ Papæ V. anno ejus 2. retroſcripta litteræ Apoſtolicæ, lectæ & publicatæ fuerunt, & per aliquod temporis ſpatium dimiſſæ, in portis ſeu valvis baſilicarum S. Ioannis Lateranen. & S. Petri Principis Apoſtolorum de urbe, necnon Cancellariæ Apoſtolicæ, & in acie campi Floræ, per nos Claudium Mongeat, & Nicolaum Gagliettum ſanctiſſimi D. noſtri Papæ CVRSORES.*

*Alex. Parabiacus mag. Curs.*

*DAMNATIO CONIUGIORUM per Eunuchos & Spadonos contractorum & contrahendorum.*

# SIXTUS PAPA V.

*Venerabili Fratri Episcopo Novarien. nostro & Sedis Apostolicæ in regnis Hispaniarum nuntio.*

CUm frequenter in istis regionibus Eunuchi quidam & Spadones, qui utroque teste carent, & ideo certum ac manifestum est, eos verum semen emittere non posse, quia impura carnis tentigine, atque immundis complexibus cum mulieribus se commiscent, & humorem forsan quemdam similem semini, licet ad generationem, & ad matrimonii causam minime aptum effundunt, matrimonia cum mulieribus, præsertim hunc ipsum eorum defectum scientibus contrahere præsumant, idque sibi licere pertinaciter contendant, & super hoc diversæ lites & controversiæ, ad tuum & Ecclesiasticum forum deducantur, requisivit à nobis fraternitas tua quid de hujusmodi connubiis sit statuendum.

§. 1. Nos igitur attendentes quod secundum canonicas sanctiones & naturæ rationem, qui frigidæ naturæ sunt & impotentes, iidem minime apti ad contrahenda matrimonia reputantur, quodque prædicti Eunuchi, aut Spadones, quas tanquam uxores habere non possunt, easdem habere ut sorores nolunt, quia experientia docet, tam ipsos dum se potentes ad coeundum jactitant, quam mulieres, quæ eis nubunt, non ut caste vivant, sed ut carnaliter invicem conjungantur prava & libidinosa intentione, sub prætextu & in figura matrimonii turpes hujusmodi commixtiones affectare, quæ cum peccati & scandali occasionem præbeant, & in animarum damnationem tendant, sunt ab Ecclesia Dei prorsus exterminandæ: Et insuper considerantes, quod ex Spadonum hujusmodi, & Eunuchorum conjugiis nulla utilitas provenit, sed potius tentationum illecebræ, & incentiva libidinis oriuntur, eidem fraternitati tuæ per præsentes committimus & mandamus, ut conjugia per dictos & alios quoscumque Eunuchos & Spadones, utroque teste carentes cum quibusvis mulieribus, defectum prædictum sive ignorantibus, sive etiam scientibus, contrahi prohibeas,

eosque ad matrimonia quomodocumque contrahenda inhabiles authoritate nostra declares, & tam locorum Ordinariis, ne hujusmodi conjunctiones de cætero fieri quoquo modo permittant, interdicas, quam eos etiam, qui sic de facto matrimonium contraxerint separari cures, & matrimonia ipsa sic de facto contracta, nulla, irrita, & invalida esse decernas.

§. 2. Eos etiam qui sic jam contraxerunt, si appareat illos non ut castè simul vivant contraxisse, sed actibus carnalibus & libidinosis operam dare, simulve in uno & eodem lecto cum prædictis mulieribus dormire convincantur, omnino similiter separari cures.

§. 3. Nos enim ita in præmissis, & non aliter, per quoscumque Judices & Commissarios, quacumque auctoritate & dignitate fungentes, sublata eis & eorum cuilibet, quavis aliter judicandi & interpretandi facultate, in quacumque causa & instantia judicari & definiri debere, & si secus super his à quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter attentatum forsan est hactenus, vel attentari in posterum contigerit, irritum & inane decernimus.

§. 4. Nonobstantibus cujusvis civita-

tis, provinciæ, aut Regni ſtatutis, legibus municipalibus, aut conſuetudinibus, quæ abuſus potius & corruptelæ cenſendæ ſunt, etiamſi ab immemorabili tempore obſervatæ dicantur, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

DATUM Romæ apud ſanctum Marcum ſub Annulo Piſcatoris, anno Incarnat. Dominicæ milleſimo quingenteſimo octuageſimo ſeptimo 27. Junii, Pontificatus noſtri anno tertio.

*CONFIRMATIO ET AMPLIATIO Constitutionis Pii quarti edita contra Sacerdotes in Confessionibus sacramentalibus Pœnitentes ad turpia sollicitantes.*

# GREGORIVS PP. XV.

*Ad perpetuam rei memoriam.*

UNiversi Dominici Gregis curam quamquam immeriti, cœlesti dispositione gerentes sedulò invigilare tenemur, ut ab omnibus pravis contagiis conservetur immunis, multoque majori studio providere, ut omnis pestis ab iis avertatur, quibus alios sanandi officium est commissum, ne quod Evangelica scripta nos admonent, sale infatuato non sit in quo saliatur, & ad nihilum prosit ultra, nisi ut mittatur feras, & conculcetur ab hominibus.

§. 1. Quoniam autem à Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris quibusdam in locis provisum fuit, ut impium ac nefandum scelus, quod non solùm inter Christi fideles non esse, sed nec etiam nominari debet, procul ab eis arceatur, videlicet ut aliquis Sacerdos ad sacras au-

diendas confeſſiones deputatus ſacroſancto Pœnitentiæ ſacramento ſollicitando Pœnitentes ad turpia, abutatur, ac pro medicina venenum, pro pane aſpidem porrigat, & ex cœleſti medico infernalis veneficus, ex Patre ſpiritali proditor execrabilis animarum reddatur: idcirco nos ea, quæ his pernicioſiſſimis diaboli inſidiis arcendis certis locis ſalubriter conſtitutæ ſunt, ut nullibi deſiderentur, quantum ex alto conceditur, providendum duximus.

§. 2. Aliàs ſiquidem à felic. record. Pio Papa IV. prædeceſſore noſtro emanarunt litteræ tenoris ſubſequentis, videlicet: Pius Papa IV. Venerabili Patri Archiepiſcopo Hiſpalenſi in Regnis Hiſpaniarum hæreticæ pravitatis generali Inquiſitori. Cum ſicut nuper, non ſine animi noſtri moleſtia, accepimus, diverſos Sacerdos in Regnis Hiſpaniarum; atque etiam in eorum Civitatibus, & Diœceſibus curam animarum habentes, ſive eam pro aliis exercentes, aut alias audiendis confeſſionibus pœnitentium deputati in tantam proruperint iniquitatem, ut ſacramento Pœnitentiæ in actu audiendi confeſſiones abutantur, nec illi, & qui inſtituit Domino Deo, & Salvatori noſtro Jeſu Chri-

ſto injuriam facere vereantur, mulieres videlicet pœnitentes ad actus inhoneſtos, dum earum audiunt confeſſiones, alliciendo & provocando, ſeu allicere & provocare tentando & procurando, ac loco earum per Sacramentum Creatori noſtro reconciliationis, graviori peccatorum mole eas onerando, & in manibus diaboli tradendo in divinæ Majeſtatis offenſam & animarum perniciem, Chriſti fidelium ſcandalum non modicum.

§. 3. Nos in animum inducere nequeuntes, quod qui de Fide Catholica rectè ſentiunt, ſacramentis in Eccleſia Dei inſtitutis abutantur, aut illis injuriam faciant, fraternitati tuæ, de cujus eximia virtute, atque doctrina plurimum in Domino confidimus, per præſentes committimus & mandamus, quatenus per te, vel per alium, ſeu alios, à te deputandum, ſeu deputandos contra omnes, & ſingulos Sacerdotes dictorum Regnorum, ac illarum Civitatum, & Diœceſum de præmiſſis quomodolibet diffamatos, tàm ſæculares, quàm etiam exemptorum ac Sedi Apoſtolicæ immediatè ſubjectorum Ordinum Regulares, cujuſcumque dignitatis, ſtatûs, gradûs, ordinis, conditionis, & præeminentiæ exiſtant, tàm ſuper præ-

missis; quam super Fide Catholica; & quid de ea sentiant, diligenter inquiras, & juxta facultatum tibi contra hæreticos, aut de hæresi quovis modo suspectos à Sede Apostolicâ concessarum continentiam, & tenorem procedas, ac culpabiles repertos juxta excessuum suorum qualitatem, pro ut juris fuerit, punias, eos etiam si, & pro ut de jure fuerit faciendum, debita præcedente degradatione sæcularis judicis arbitrio puniendos tradendo.

§. 4. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac Ecclesiarum, & Monasteriorum, nec-non Ordinum quorumlibet, quorum ipsi Sacerdotes fuerint, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia, roboratis, statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & litteris Apostolicis sub quibuscumque tenoribus, ac formis, ac cum quibusvis clausulis, & decretis etiam motu proprio, aut aliàs quomodolibet concessis, etiam iteratis vicibus approbatis, & innovatis, quibus omnibus eorum tenores præsentibus pro expressis habentes, hac vice duntaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. DATUM Romæ apud sanctum Petrum,

ſub annulo Piſcatoris, die 16. Aprilis 1561. Pontificatus noſtri anno ſecundo.

§. 5. Igitur, ut litteræ prædictæ perpetuis futuris temporibus, & ubique locorum inviolabiliter obſerventur, motu proprio, & ex certa ſcientia, ac matura deliberatione noſtra, ac de conſilio Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium contra hæreticam pravitatem Generalium Inquiſitorum, præinſertas litteras hujuſmodi, ac omnia & ſingula in eis contenta, Apoſtolica auctoritate tenore præſentium approbamus & confirmamus, illiſque omnibus & ſingulis inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus, illaſque non ſolùm in prædictis Hiſpaniarum Regnis, ſed in quibuſvis Chriſtiani orbis partibus firmiter, & inviolabiliter obſervari præcipimus & mandamus.

§. 6. Ac præterea ne in futurum de pœna his delinquentibus imponenda, & de modo intra eoſdem procedendi, ab aliqua dubitari poſſit, ſtatuimus, decernimus, & declaramus, quòd omnes & ſinguli Sacerdotes tam ſæculares, quàm quorumvis, etiam quomodolibet exemptorum, ac Sedi Apoſtolicæ immediatè ſubjectorum, Ordinum, Inſtitutorum, Societatum, & Congregationum Regulares, cujuſcumque dignitatis & præminentiæ, aut quovis pri-

vilegio muniti existant, qui personas, quæcumque illæ sint, ad inhonesta, sive inter se, sive cum aliis quomolibet perpetranda in actu Sacramentalis Confessionis, sive antea, vel post immediatè, seu occasione, vel prætextu confessionis hujusmodi etiam ipsa confessione non secuta, sive extra confessionis occasionem in confessionario, aut in loco quocumque ubi Confessiones sacramentales audiantur, seu ad confessionem audiendam electo, simulantes ibidem confessiones audire, sollicitare, vel provocare tentaverint, aut cum eis illicitos & inhonestos sermones, sive tractatus habuerint, in officio sanctæ Inquisitionis severissimè, ut infrà puniantur. Et præterea omnes hæreticæ pravitatis Inquisitores, & locorum Ordinarios omnium Regnorum, Provinciarum, Civitatum, Dominiorum, & locorum universi orbis Christiani in suis quemque Diœcesibus, & Territoriis per has nostras litteras, etiam privativè quoad omnes alios specialiter, ac perpetuò judices delegamus, ut super his contra prædictos, simul, vel separatim in omnibus, prout in causis fidei, juxta sacrorum Canonum formam, nec-non officii Inquisitionis hujusmodi constitutiones, privilegia, consuetudines, & decreta diligenter

inquirant, & procedant: & quos in aliquo ex hujusmodi nefariis excessibus culpabiles repererint: in eos pro criminum qualitate, & circumstantiis, suspensionis ab executione ordinis, privationis beneficiorum, dignitatum, & officiorum quorumcumque ac perpetuæ inhabilitatis ad illa, nec-non vocis activæ & passivæ, si Regulares fuerint, exilii, damnationis ad triremes, & carceres etiam in perpetuum, absque ulla spe gratiæ, aliasque pœnas decernant, eos quoque si pro delicti enormitate graviores pœnas meruerint, debita præcedente degradatione Curiæ sæculari puniendos tradant.

§. 7. Dantes etiam facultatem Venerabilibus Fratribus nostris S.R.E. Cardinalibus generalibus Inquisitoribus, ne delictum tam enorme, & Ecclesiæ Dei tam perniciosum remaneat, ob probationum defectum, impunitum, cum difficilis sit probationis, testibus etiam sæcularibus concurrentibus præsumptionibus, Indiciis, & aliis adminiculis, delictum probatum esse arbitrio suo judicandi, & Curiæ sæculari, ut præfertur, reum tradendum esse, pronuntiandi.

§. 8. Non obstantibus omnibus, quæ dictus prædecessor in suis litteris prædictis voluit non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

§ 9. Mandantes omnibus Confeſſariis, ut ſuos pœnitentes quos noverint fuiſſe ab aliis, ut ſupra, ſollicitatos, moneant de obligatione ſollicitantes, ſeu ut præfertur, tractantes, Inquiſitoribus ſeu locorum Ordinariis prædictis: quod ſi hoc officium prætermiſerint, vel pœnitentes docuerint non teneri ad denuntiandum Confeſſarios ſollicitantes, ſeu tractantes, ut ſupra; ijdem locorum Ordinarii, & Inquiſitores illos pro modo culpæ punire non negligant.

§. 10. Volumus autem, ut præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides in judicio, & extra ubique habeatur, quæ præſentibus haberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

§. 11. Quodque eædem præſentes litteræ, ſeu illarum exempla ad valvas Baſilicarum S. Joannis Lateranenſis ac Principis Apoſtolorum de Urbe, & in acie Campi Floræ affixæ, omnes ita arctent, & afficiant, ac ſi unicuique perſonaliter intimatæ fuiſſent. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub annulo Piſcatoris, die 30. Auguſti 1622. Pontificatus noſtri anno 2.

*SANCTIS-*

# SANCTISSIMI D. N. URBANI DIVINA PROVIDENTIA PAPÆ OCTAVI.

## *CONSTITUTIO CIRCA formam & habitum ſacrarum Imaginum.*

## URBANUS PAPA VIII.

*Ad futuram rei memoriam.*

SAcroſancta Tridentina Synodus optimè agnoſcens non leve ſcandalum afferre poſſe, ſi quid inordinatum, aut præpoſterè accommodatum, vel prophanum in Eccleſiis appareat, ſtatuit nemini licere ullo in loco, vel Eccleſia, etiam quomodolibet exempta, ullam inſolitam imaginem ponere, vel ponendam curare, niſi ab Epiſcopo approbata fuerit. Cum autem, ſicut accepimus, ex prædicti Decreti inobſervantia varii abuſus irrepſerint; idcirco nos abuſus hujuſmodi tollere pro debito Paſtoralis officii noſtri volentes, re etiam cum Venerabilibus Fratribus noſtris S.R.E. Cardinalibus ſacris riti-

bus præpositis communicata, & maturè considerata & discussa, inhærendo dictæ dispositioni sacrosanctæ Tridentinæ Synodi, motu proprio, & ex certa scientia nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, ne quis cujuscumque gradus, qualitatis, ordinis, status, vel conditionis, ac dignitatis, & præeminentiæ, etiam Ecclesiasticæ, etiam individua ac speciali expressione dignæ existat imagines Domini nostri Jesu Christi, & Deiparæ Virginis Mariæ, ac Angelorum, Apostolorum, Evangelistarum, aliorumque Sanctorum, & Sanctarum quarumcumque sculpere, aut pingere, vel sculpi aut pingi facere, aut ante hac sculptas, aut pictas, & alias quomodolibet effictas tenere, seu publico aspectui exponere, aut vestire cum alio habitu & forma, quam in Catholica, & Apostolica Ecclesia ab antiquo tempore consuevit, nec etiam eum habitu peculiari alicujus Ordinis regularis tenore præsentium prohibemus. Ac ut imagines aliter pictæ vel sculptæ, ab Ecclesiis, & aliis locis quibus libet amoveantur & deleantur, vel reducantur & reformentur ad habitum, & formam in Ecclesia Catholica, & Apostolica, ab antiquo tempore consuetam, ut veneratio,

& cultus sic dictis imaginibus augeatur, & quæ oculis fidelium subjiciuntur non inordinata, nec insolita appareant, sed devotionem pariant, & pietatem. Et ne exponantur in Ecclesiis quibuslibet, ac quomolibet qualificatis, ac earum frontispiciis, & atriis imagines prophanæ, vel aliàs indecentiam & in honestatem præseferentes, cum domum Dei deceat sanctitudo, præcipimus. Quo circa quibuscumque Venerabilibus Fratribus, Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, & aliis locorum Ordinariis, ac nostris & Apostolicæ Sedis Nunciis, & Legatis, etiam de latere, sub obtestatione divini judicii mandamus, ut prædicta inviolabiliter & exacte observent: Mandantes insuper omnibus capitulis Ecclesiarum etiam Cathedralium, & majorum, ac Uniuersitatibus etiam studiorum, Monasteriis, ac Collegiis, & personis quibuscumque, etiam Ecclesiasticis, Sæcularibus & Regularibus cujuscumque Ordinis, etiam Cistercienfis instituti, Congregationibus, & Societatibus, etiam Jesu, etiam militaribus, etiam Hospitalis S. Joannis Hierosolymitani, aliarumque militarium, & cæteris quibuscunque quomodolibet qualificatis, ac eadem individua expressione, & speciali

nota dignis, ac Monialibus, etiam Regularium gubernio subjectis, ac etiam sedi Apostolicæ immediate suppositis, ut in eorum Ecclesiis, & locis omnia & singula præmissa observent & observari faciant. Quatenus vero ipsi, præsertim Regulares, & Moniales præsentibus litteris, ac omnibus contentis in eis parere neglexerint, possint, & debeant Episcopi, & locorum Ordinarii, Metropolitani, Primates, Patriarchæ, Nuncii, & Legati Apostolici de Latere missi, tanquam in hoc à Sede Apostolica specialiter delegati, contra omnes & singulos prædictos, & quoscunque alios quomolibet inobedientes & transgressores procedere, & quacunque appellatione, recursu, reclamatione, aliisque juris & facti remediis ordinariis, & extraordinariis penitus, & omnino remotis ad omnimodam observantiam illos prævia unica Monitione, Censuris Ecclesiasticis, & aliis eorum arbitrio, & præsertim quoad loci superiores, etiam privationis officii, & vocis activæ & passivæ pœnis compellere, præsentes quoque litteras, & in eis contenta quæcumque nullo unquam tempore de subreptionis, obreptionis, aut nullitatis vitio, seu inintentionis nostræ, vel quocumque alio

etiam quantumvis ſubſtantiali defectu, notari, impugnari, vel redargui poſſe, ſed illas ſemper validas, firmas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios effectus ſortiri & obtinere, & ab omnibus ad quos ſpectat, & ſpectabit in futurum inviolabiliter obſervari, ſicque & non aliter in præmiſſis per quoſcumque judices Ordinarios & Delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici auditores ac S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, nunc & pro tempore exiſtentes, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, ſeu interpretandi facultate & auctoritate, judicari, & diffiniri debere, ac irritum & inane ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus. Non obſtantibus fel. recor. Bonifacii Papæ VIII. Prædeceſſoris noſtri de una, & Concilii generalis de duabus dietis, aliiſque Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis; in favorem etiam perſonarum, atque Ordinum quorumcunque etiam Ciſtercienſis, ac tam Mendicantium, quàm non Mendicantium, militiarum, etiam ſancti Joannis Jeroſolymitani; Congregationum, Societatum, etiam Jeſu, ac cujuſvis alte-

rius instituti etiam necessario & individuè exprimen. Monasteriorum, Conventuum, Capitulorum, Ecclesiarum, & aliorum quorumcunque tam sæcularium, quàm regularium locorum, nec-non illorum etiam juramento, Confirmatione Apostolica, vel alia quavis firmitate roboratis statutis & consuetudinibus, etiam immemorabilibus, exemptionibus quoque, indultis, & privilegiis etiam in corpore juris clausis, aut ex causa & titulo oneroso, vel in limine fundationis concessis etiam mari magno, seu Bulla aurea, aut aliàs nuncupatis, Conservatorum deputationibus, eorumque atque aliis inhibitionibus, quibus Episcopi & alii Ordinarii, & Superiores prædicti deferre minimè teneantur, & quibusvis aliis sub quibuscunque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, nec-non irritantibus decretis, etiam motu proprio, & ex certâ scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, aut alias quomolibet, etiam per vim communicationis, seu extensionis concessis, & iteratis vicibus approbatis, & innovatis. Quibus omnibus & singulis etiamsi pro illorum sufficienti de-

rogatione de illis; eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, & expreſſa, ac de verbo ad verbum non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, illorum tenores præſentibus pro ſufficienter expreſſis, & ad verbum inſertis habentes illis alias in ſuo robore permanſuris, ſpecialiter & expreſſe derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Et ne præmiſſorum ignorantia poſſit ab aliquo prætendi, volumus & Apoſtolica auctoritate decernimus, ut præſentes litteræ, ſeu illarum exemplum ad valvas Baſilicæ Principis Apoſtolorum Urbis, ac in acie campi Floræ affixæ omnes per inde arctent, atque afficiant, ac ſi unicuique perſonaliter intimatæ fuiſſent, quodque præſentium tranſumptis etiam impreſſis manu Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtico conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ. DATUM Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die 25.

Martii 1642. Pontificatus nostri anno decimo nono.

M. A. MARALDUS.

*Die 26. Iunii 1642. supradictæ litteræ Apostolicæ, affixæ & publicatæ fuerunt ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum, & in acie campi Floræ, ac aliis locis solitis, & consuetis Vrbis per Dominicum Varesium S. D. N. Papæ cursorem.*

*Pro Magistro Cursorum Dominicus* MANGILIUS CURS.

CONSTITUTIO S. D. N. D. URBANI divina Providentia Papæ VIII.

*Pro observatione Festorum.*

# URBANVS EPISCOPVS

SERVUS SERVORUM DEI.

*Ad perpetuam rei memoriam.*

UNiversa per orbem novit Ecclesia Romana Pontificis supremæ incumbere sollicitudini Dominicum Gregem ad æternam dirigere salutem, & Apostolica sic explicare præcepta, ut fideles in viam mandatorum currere, & ad beatitudinem valeant fœliciter pervenire. Plurimorum siquidem venerabilium Fratrum nostroruum Archiepiscoporum, & Episcoporum per varias regiones constitutorum relatione ad nos pervenit Festorum multitudinem per singulas eorum Diœceses, ac Provincias adeo crevisse, devotione, atque consuetudine nova in dies introducente, ut multi jam dubitare videantur, quænam ex præcepjo quæve ex libera cujuscumque voluntate sint servanda, pietaris fervore ob nimiam eorum-

dem numerositatem tepescente; quin imo & clamor pauperum frequens ascendit ad nos eandem multitudinem ob quotidiani victus laboribus suis comparandi necessitatem sibi valdè damnosam conquerentium, & quod summopere dolendum est, magno cum animi nostri mœrore didicimus tanta sæpe sæpius malignatum inimicum in sancto, ut ipsa multitudine non ad ædificationem, & ad laudandum in Ecclesiis Deum populi utantur, sed ad otia, vanitates, & vitia frequenter abuti non formident, ita ut quæ ad glorificandum divinum nomen sunt primitus instituta, temporis decursu inimicus homo corrupit, & in magnam illius offensionem, gravemque jacturam converterit animarum: Quamobrem dicti vener. Fratres Archiepiscopi, & Episcopi nobis fecerunt humiliter supplicari, ut in prædictis de Apostolicæ potestatis plenitudine congruam aliquam iniremus rationem. Nos itaque volentes ex debito Pastoralis officii providere, & sanctificationis Festorum certum deinceps firmare præceptum, antiquam Ecclesiæ in hoc consuetudinem sectantes, habitis prius frequentibus per doctos, piosque viros quos ad hæc specialiter deputavimus, consultationibus, ut rei vide-

tur gravitas poſtulare, motu proprio, & certa ſcientia, meraque deliberatione noſtris; nec-non de prædictæ Apoſtolicæ plenitudine poteſtatis, hac perpetua valitura conſtitutione de voto etiam Vener. Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium ſacris ritibus præpoſitorum, Apoſtolica auctoritate decernimus, & declaramus, infraſcriptos duntaxat dies pro Feſtis ex præcepto colendos eſſe, quos nempe, vel ab initio veneranda ſacravit antiquitas, vel univerſalis Eccleſiæ probavit conſuetudo, vel omnium gentium unanimis pietas veneratur; Dominicos videlicet dies totius anni, Nativitatis D. N. J. C. Circumciſionis, Epiphaniæ, Reſurrectionis, cum duabus pariter ſequentibus Feriis, Aſcenſionis, Pentecoſtes cum duabus ſequentibus feriis, ſanctiſſimæ Trinitatis, ſolemnitates corporis Chriſti, & Inventionis ſanctæ Crucis, nec-non feſtivitatum Purificationis, Annunciationis, Aſſumptionis & Nativitatis Deiparæ Virginis, Dedicationis S. Michaëlis Archangeli, Nativitatis S. Joannis Baptiſtæ, SS. Petri, & Pauli, S. Andreæ, S. Jacobi, S. Joannis, S. Thomæ, SS. Philippi & Jacobi, S. Bartolomæei, S. Mathæi, SS. Simonis & Judæ, & S. Matthiæ Chriſti Domini Apo-

ſtolorum; item S. Stephani Protomartyris, SS. Innocentium, S. Laurentii Martyris, Silveſtri Papæ & Confeſſoris, S. Joſephi etiam Confeſſoris, & S. Annæ, Deiparæ reſpectiuè ſponſi, ac Genitricis, ſolemnitatis omnium Sanctorum, atque unius ex principalioribus Patronis in quocumque regno, ſive provincia, & alterius pariter principalioris in quacunque civitate, oppido, vel pago, ubi hos patronos haberi, & venerari contigerit. Ad reliquorum vero dierum obſervantiam, quos hactenus ſive in univerſa Eccleſia, ſive in quavis Natione, aut Regno, Provincia, Diœceſi, aut loco quomodocumque, ſive ex præcepto, ſive ex conſuetudine, ſive ex devotione Chriſti fideles tanquam feſtivos celebrarunt, nequaquam ex præcepto ipſos teneri dicta auctoritate tenore præſentium perpetuo etiam decernimus, & declaramus. Ne autem dies Feſtos à locorum Ordinariis nimia aliquorum facilitate, aut populorum importunitate deinceps iterum multiplicari contingat, eoſdem Ordinarios in Domino monemus, ut ad Eccleſiaſticam ubique ſervandam æqualitatem de cætero perpetuis futuris temporibus ab indictione ſub præcepto novorum Feſtorum ſtudeant

abſtinere. Ut vero ea quæ ſuperius expreſſa ſunt ferventiori, qua decet veneratione, ac devotione colantur, eiſdem Ordinariis antiquorum Canonum obſervantiam ad memoriam revocamus in concedendis licentiis laborandi diebus Feſtis, quæ quidem licentiæ non aliter quam ad formam prædictorum Canonum, ut præmittitur concedenda non niſi gratis, liberè & ſine ullo prorſus precio, aut pacto, directè, vel indirectè concedantur, ſub pœnis etiam gravioribus noſtro, ſucceſſorumque noſtrorum arbitrio infligendis. Non intendimus tamen per hanc noſtram Conſtitutionem dies Feſtos circa judicialia in aliquo immutare, quos ad hunc effectum relinquimus in eiſdem ſtatu, & terminis, in quibus erant ante ejuſdem promulgationem. Mandantes propterea in virtnte ſanctæ obedientiæ, & ſub indignationis noſtræ pœna, nunc, & pro tempore exiſtenti noſtro in Urbe, ejuſque diſtrictu Vicario in ſpiritualibus generali, ac univerſis, & ſingulis Patriarchis, Primatibus, Archiepiſcopis, Epiſcopis, aliiſque Prælatis, ac cujuſcumque generis locorum Ordinariis, etſi Cardinalatus honore fulgeant, ut has præſentes litteras, omniaque & ſingula in eis contenta ſinguli videlicet in

eorum respectivè Diœcesibus publicent, & ab omnibus eorum subditis ad unguem observari faciant, nonobstantibus quibusvis Apostolicis, etiam in Provincialibus, Synodalibus, & universalibus Conciliis, editis, & edendis, specialibus, vel generalibus Constitutionibus, & Ordinationibus, ac singularum Provinciarum, Civitatum, oppidorum, & locorum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus longissimo tempore præscriptis, ac observatis, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis, Decretis, Declarationibus, & litteris Apostolicis, aliisque gratiis, tam per ipsos Romanos Pontifices prædecessores nostros, ac nos etiam motu simili etiam consistorialiter, quam per Ordinarios locorum cujuscumque qualitatis, etiam Cardinalatus honore, ut præfertur fulgentes, Legatos etiam de latere & sedis Apostolicæ nuncios, ipsis Provinciis, Civitatibus, oppidis, & locis, aliisque quibuscumque etiam quantumvis privilegiatis personis, etiam, Imperatoris, Regum, Reginarum, Rerump. Ducum, aut aliorum Principum contemplatione, vel intuitu, ac alias in contrarium, forsan

quomodolibet concessis, approbatis, & innovatis, quibus omnibus, & singulis, etsi alias pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa, & individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & forma in illis tradita observata inserti forent, eisdem præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & insertis habentes, motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus harum serie specialiter & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem & earumdem præsentium transumptis etiam impressis, & manu Notarii publici subscriptis, ac sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in judicio, quam extra illud adhibeatur, quæ eisdem præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostrorum Decretorum, Declarationum, Monitionis, intentionis mandati, derogationis, & voluntatis infringere,

vel ei ausu temerario contraire : Si quis autem hoc attentare præsumpserit indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursum. DATUM Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Domini 1642. idibus Septembris, Pontificatus nostri anno vigesimo.

E. DAT.

Visa de curia P. GENTILIS.

Loco plumbi † pendentis. F. RENTIUS

P. CIAMPINUS.

*Die 22. Decembris 1642. supradictæ litteræ Apostolicæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad valvas Basilicæ principis Apostolorum, & in acie campi Floræ, ac aliis locis solitis, & consuetis Urbis: Per me Ioannem Garziam, S. D. N, Papæ Curs.*

*Raymundus Brambilla Mag. Curs.*

# DECRETUM

*SACRÆ RITUUM CONGREGAT. de non jejunando in vigilia S. Ioannis Baptistæ quando contingit in die solemnitatis corporis Christi.*

Die 24. Septembris 1638.

CUM anno proxime venturo 1639. vigilia S. Joannis Baptistæ incidat in diem solemnitatis corporis Christi, fuit à pluribus locorum Ordinariis supplicatum Sanctissimo pro declaratione, quid agendum, de jejunio eo die præscripto; & supplicatione per Sanctitatem suam ad sacram Rituum Congregationem remissa; eadem sacra Congregatio re mature discussa censuit; non esse jejunandum, neque abstinendum à carnibus in Festo solemnitatis Corporis Christi, sed anticipandum jejunium die antecedenti, nempe Feria quarta, prout jejunaretur in ipsa Vigilia; & videri eidem Sacræ Congregationi, quod Sanctitas sua si ita placuerit, præciperet super hoc expediri Breve pro perpetuis futuris temporibus, quando idem casus con-

tigerit; & facta per me Secretarium de præmissis sanctitati suæ relatione, sanctitas sua sententiam sacræ Congregationis laudavit, & Breve pro toto orbe expediri mandavit, prout expeditum fuit, tenoris ut infra.

C. Episc. Portuen. Card. Pius.

Loco † sigilli.

Julius Cincius Secr.

# VRBANVS PP. VIII.

*Ad perpetuam rei memoriam.*

CUm evenire quandoque possit, ut vigilia S. Joannis Baptistæ in diem Festum solemnitatis sanctissimi Corporis Domini nostri Jesu Christi incidat: Nos attendentes diem Festum hujusmodi, quo tanti Sacramenti institutio, summa totius populi Christiani lætitia recolitur, è principalibus Anni festivitatibus existere propterea de venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium sacris Ritibus præpositorum consilio, deinceps perpetuis futuris temporibus quoties vigiliam prædictam in dictum diem Festum solemnitatis sanctissimi Corporis Domini nostri Jesu Christi incidere contigerit, non esse jejunandum, neque à carnibus abstinendum in die festo hujusmodi, sed anticipandum jejunium die immediate antecedenti, nempe Feria quarta, prout jejunaretur in ipsa vigilia, Apostolica auctoritate tenore præsentium statuimus & ordimus, in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Volumus autem ut præsentium transumptis etiam impres-

ſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides ubique adhibeatur, quæ ipſis præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. DATUM Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris, die 13. Octobris 1638. Pontificatus noſtri anno decimo ſexto.

M. A. MARALDUS.

*DECLARATIO, AC CONFIRMATIO Decretorum editorum circa imagines defunctorum nondum à Sede Apostolica canonizatorum cum splendoribus, aut laureolis non proponendas, & processus pro eorum beatificatione, aut canonizatione conficiendos.*

# URBANUS PAPA VIII.

*Ad perpetuam rei memoriam.*

CÆlestis Hierusalem cives, quorum gloriosis natalitiis sancta lætatur mater Ecclesia, sicut hujus sanctæ Sedis Apostolicæ ministerio à piis utriusque sexus Christi fidelibus venerantur in terris, ita Romanum decet Pontificem militantis Ecclesiæ regimini divina Providentia præpositum, pro suo præcipuo honoris domus Dei zelo invigilare, ne quid in personarum cum sanctitatis, aut Martyrii fama, vel opinione defunctarum memoriam, sive cultum, inconsulta sancta Sede prædicta innovetur.

§. 2. Aliàs siquidem nos sollicitè animadvertentes, abusus, qui irrepserant, & irrepere non cessabant in colendis qui-

buſdam cum ſanctitatis, aut martyrii fama, vel opinione defunctis, qui, etſi neque canonizationis, neque beatificationis honore inſigniti eſſent ab eadem Sede, eorum tamen imagines in oratoriis, atque in Eccleſiis, aliiſque locis publicis atque etiam privatis, cum laureolis, aut radiis, ſeu ſplendoribus proponebantur, miracula, & revelationes, aliaque beneficia à Deo per eorum interceſſiones accepta in libris rerum ab ipſis geſtarum enarrabantur, & ad illorum ſepulchra tabellæ, imagines, & res aliæ ad beneficia accepta teſtificanda, & lampades, & alia lumina apponebantur: Volentes proinde hujuſmodi abuſibus pro debito Officii Paſtoralis occurrere, re etiam cum Venerabilibus Fratris noſtris S. R.E. Cardinalibus contra hæreticam pravitatem in univerſa Republica Chriſtiana generalibus Inquiſitoribus ab eadem ſede ſpecialiter deputatis, communicata, & mature conſiderata, ac diſcuſſa; de eorumdem Cardinalium conſilio ſub die 13. Martii 1625. declaravimus, ſtatuimus, & decrevimus, ne quorumvis hominum cum ſanctitatis, ſeu martyrii (fama quantumcunque illa ſit) defunctorum imagines, aliaque præfata, & quodcunque aliud venerationem, & cul-

tum præseferens, & indicans, in oratoriis, aut locis publicis, seu privatis, vel Ecclesiis, tam sæcularibus quam regularibus, cujuscunque Religionis, Ordinis, Instituti, Congregationis, aut Societatis apponerentur, antequàm ab Apostolica sede canonizarentur, aut beati declararentur, & (si quæ appositæ essent) amoverentur, pro ut eas statim amoveri mandavimus, ac pariter imprimi de cætero inhibuimus libros eorumdem hominum, qui sanctitatis, aut martyrii, fama, vel opinione, ut præfertur, celebres; è vita migravissent, gesta, miracula, vel revelationes, seu quæcunque beneficia, tanquam eorum intercessionibus à Deo accepta continentes, sine recognitione, atque approbatione Ordinarii, qui in eis recognoscendis Theologos, aliosque pios, ac doctos viros in consilium adhiberet: & ne deinde fraus, aut error, aut aliquid novi, & inordinati in re tam gravi committeretur, negotium instructum ad Sedem Apostolicam transmitteret, ejusque responsum expectaret: revelationes verò, & miracula, aliaque beneficia supradicta, quæ in libris horum hominum vitam, gestaque continentibus eatenus sine recognitione, atque approbatione hujusmodi impressa erant,

nullo modo approbata censeri voluimus, mandavimusque. Ad horum hominum sepulchra vetuimus etiam, ac inhibuimus tabellas, atque imagines ex ære, aut argento seu ex alia quæcumque materia, tam pictas, quàm fictas, atque exculptas appendi, seu affigi, & lampades, sive alia quæcunque lumina accendi sine recognitione ab Ordinario omnino prout supra, facienda, sedique Apostolicæ referenda, ac probanda. Declarantes, quòd per suprascripta præjudicare in aliquo noluimus, neque intendimus iis, qui aut per communem Ecclesiæ consensum, vel immemorabilem temporis cursum, aut per Patrum, virorumque Sanctorum scripta, vel longissimi temporis scientia, ac tolerantia præfatæ Sedis Apostolicæ, vel Ordinarii celebrantur. Cumque postea, die 2. Octobris ejusdem anni 1625. à quibusdam revocari in dubium accepissemus, an tabellas, & imagines, quas in posterum offerri contingeret, recipere, & antea oblatas conservare liceret, nos qui tantummodo voluimus occurrendo abusibus, qui irrepere videbantur, certiorem parare viam ad eorum in terris gloriam, quorum sanctimoniam divinæ clementiæ placuerit admirandis operibus illustrari; re prius cum

eisdem

eiſdem Cardinalibus communicata, de ſimili eorum conſilio declaravimus, quòd ſicut nunquam prohibuimus, nec intentionis noſtræ fuit prohibere oblationem; receptionemque tabellarum, & imaginum hujuſmodi, itaut deinceps nulli dubitationi locus relinqueretur; ſtatuimus, & decrevimus ut quoties ad aliquam Eccleſiam, aut Oratorium, locum ve alium publicum, ſecularem ſeu regularem tabellas, & imagines, aliudve ſimile quiſpiam deferret, ac interceſſione hominum inter Sanctos, vel Beatos non adſcriptorum, quamvis cum Martyrii, aut ſanctitatis fama de mortuorum, optata ſe impetraviſſe diceret, liceret Eccleſiaſticis perſonis Eccleſiarum, locorumve prædictorum curæ præpoſitis, tabellas, & imagines ſive pictas, ſive ex quavis materia fictas; atque alia quæcumque collatæ gratiæ fidem facientia ſimul cum deferentis, aliorumque qui conſcii fuiſſent atteſtationibus recipere, atque approbantibus Ordinariis, ad quos referre ſtatim omnia tenerentur, in ſecreto aliquo ſeorſum ab Eccleſia loco cuſtodire, ibidemque jam ammota collocare, & aſſervare, ut ſi quando Dominus talium virorum merita beatifica-

tionis, seu canonizationis honore in terris decorare voluisset, extarent hujusmodi sanctitatis qualescunque probationes Apostolicæ sedis judicio tunc examinandæ. Demum verò, ut ejusmodi decreta observarentur indubiè, ac omnimodam sortirentur executionem, cum eisdem Cardinalibus re pariter communicata, deque eorumdem consilio, præmissis addidimus, statuimus, decrevimus, atque declaravimus, ne ex tunc deinceps quispiam Ordinariorum, aut ab Apostolica sede ad hoc specialiter delegatorum, super alicujus utriusque sexus cum Sanctitatis, aut Martyrii fama, vel opinione defuncti miraculis, revelationibus, aliisve ejusmodi sanctitatem redolentibus, ex integro informationes quoquo modo reciperet, aut processuum instrueret, vel hucusque receptas informationes, instructumve processum ulteriùs prosequeretur, nisi postulator prius per legitimas juridice susceptas probationes circa personam ejus, de cujus miraculis, revelationibus, aliisve rebus gestis sanctitatem præ se ferentibus ageretur, præscriptam in præfato nostro Decreto formam omnino servatam extitisse docuerit; & nisi postea successivè idem Ordinarius, aut ab Aposto-

lica ſede ad hoc ſpecialiter delegatus, diligenti præhabita diſquiſitione circa eandem perſonam, ſupracitato Decreto nullatenus contraventum eſſe rite pronuntiaverit. Utque id inviolabiliter obſervetur, ſtatuimus inſuper, ac decrevimus, ne tranſmiſſi ad urbem undecumque hujuſmodi proceſſus, à Congregationis ſacrornm Rituum ſecretatio, minuſve à ſanctæ fidei Promotore, quomodolibet aperiantur, niſi priùs in ipſa ſacrorum Rituum Congregatione, alio ſejunctim oblato authentico proceſſu, ex eo Nrdinarium, aut ab Apoſtolica ſede ſpecialiter delegatum ritè, ac rectè ut præmittitur, cognoviſſe, aut pronuntiaſſe prælibato Decreto nequaquam contraitum eſſe plenè conſtiterit, ac deinde à nobis judicialiter aperiendi eos proceſſus facultas indulta fuiſſet. Inſuper longiſſimum tempus, illiuſve immemorabilem curſum, de quo in prædicto Decreto, intelligi declaravimus eſſe tempus centum annorum metam excedens: deque his atque infraſcriptis omnibus, quæ in his Decretis diſpoſita, & ordinata ſunt, aliqua ſuboriente difficultate, Ordinariis locorum, & Delegatis Apoſtolicis quibuſlibet omnem omnino interpretandi

facultatem ademimus. Utque ſedem Apoſtolicam deſuper conſulerent, ab eaque reſponſum expectarent, mandavimus eiſdem, & aliàs prout in Decretis deſuper editis plenius continetur.

§. 2. Quare inviolabili Decretorum prædictorum obſervationi, quantum cum Domino poſſumus, conſulere volentes, motu proprio & ex certa ſcientia, ac mera deliberatione noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, Decreta prædicta, cum omnibus & ſingulis in eis contentis, tenore præſentium perpetuò approbamus, & confirmamus, illiſque inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus, omniaque & ſingula Decreta hujuſmodi ab omnibus, ad quos ſpectat, & in futurum quomodolibet ſpectabit, obſervari omnino præcipimus, ſub pœna nullitatis quorumcumque informationum, proceſſuum, ac interpretationis aliter, quàm prævia ſupraſcripta præcognitione inſtructorum, eorumque admiſſionis, publicationis, aut interpretationis; itaut earumdem informationum receptiones, proceſſuumve inſtructiones, nec-non eorum admiſſiones, ac publicationes & interpretationes habeantur pro non receptis, non inſtructis, non admiſ-

ſis, non publicatis, non interpretatis, eorumque amplius ratio aliqua nullatenus alicubi unquam haberi debeat.

§. 3. Decernentes præſentes litteras, & in eis contenta quæcunque, etiam ex eo quòd quicunque in præmiſſis, ſeu eorum aliquo intereſſe habentes, ſeu quomodolibet habere prætendentes, ad præmiſſa vocati, & auditi, minuſve cauſæ, propter quas eædem præſentes emanarint, adductæ, verificatæ, ſeu aliàs ſufficienter, aut etiam nullatenus juſtificatæ fuerint, nullo unquam tempore de ſubreptionis, obreptionis, nullitatis, aut invaliditatis vitio, ſeu intentionis noſtræ, aut ali quovis defectu, etiam quantumvis magno, inexcogitato, & ſubſtantiali, ſive etiam ex eo quòd in præmiſſis, ſeu eorum aliquo ſolemnitates, & quævis alia ſervanda, & adimplendâ, ſervata, & adimpleta non fuerint, aut ex quovis alio capite à jure, vel facto, aut ſtatuto, vel conſuetudine aliqua reſultante, ſeu etiam enormis, enormiſſimæ, & totalis læſionis, aut quocumque alio colore, etiam in corpore juris clauſo, ſeu occaſione, vel cauſa etiam quantumvis juſta, rationabili, & privilegiata, etiam tali quæ ad effectum validitatis præmiſſorum neceſſario expri-

menda foret ; aut quod de voluntate nostra hujusmodi , & aliis superiùs expressis , seu relatis nihil ullibi appareret , seu aliter probari posset , notari , impugnari , invalidari , retractari , in jus vel controversiam revocari , aut ad terminos juris reduci , vel adversus istas restitutionis in integrum , aperitionis , oris , reductionis ad viam , & terminos juris , aut aliud quodcunque juris , facti , gratiæ , vel justitiæ , remedium impetrari , seu quomodolibet concedi , aut impetrato , vel concesso quempiam uti , seu se juvare in judicio , vel extra posse ; neque ipsas præsentes , sub quibusvis similium , vel dissimilium gratiarum revocationibus , suspensionibus , limitationibus , aut aliis contrariis dispositionibus pro tempore quomodolibet faciendis comprehendi , sed semper ab illis exceptas , perpetuoque validas , firmas , & efficaces existere , & fore , suosque plenarios , & integros effectus sortiri & obtinere , ac per omnes , & singulos , ad quos spectat , & quomodolibet spectabit in futurum , inviolabiliter observari.

§. 4. Sicque & non aliter in præmissis omnibus & singulis , per quoscumque judices Ordinarios , & delegatos , etiam

causarum Palatii Apostolici auditores, & S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, & Nuncios, & alios quavis auctoritate, & potestate fulgentes; in quavis causa, & instantia, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, ubique judicari, & diffiniri debere: irritum quoque & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 5. Quocirca venerabilibus Fratribus, Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, & aliis locorum Ordinariis, nec-non dilectis filiis nostris, & Apostolicæ sedis Nunciis, ac hæreticæ pravitatis Inquisitoribus ubilibet existentibus, per Apostolica scripta mandamus, ut statim atque præsentes litteræ nostræ ad eorum, & cujuslibet eorum notitiam pervenerint, in sua quisque respectivè Diœcesi vel Provincia sedulò prævigilet, ne sine approbationibus prædictis imagines cum memoratis signis exponantur, aut miracula, revelationes, ac beneficia publicentur prædicta, aliave contra superius disposita fiant: transgressores verò, si regulares fuerint, privationis suorum officiorum, ac vocis acti-

væ & paſſivæ, nec non ſuſpenſionis à divinis: ſi verò Clerici ſeculares, privationis pariter ſuorum officiorum, ſuſpenſionis à divinis, & ab adminiſtratione Sacramentorum, executioneque ſuorum ordinum reſpectivè, aliiſque arbitrio prædictorum ordinariorum, ſeu Inquiſitorum, pro modo culpæ infligendis pœnis plectendo. Qui autem libros impreſſerint, aut imagines pinxerint, ſculpſerint, ſeu quoquomodo affixerint, vel formaverint, cæterique artifices circa prædicta qualitercumque delinquentes, prædicta omnia amittant, & inſuper pecuniariis, aliiſque etiam corporalibus pœnis juxta criminis gravitatem, eorumdem Ordinariorum ſeu Inquiſitorum arbitrio afficiantur. Contradictores quoslibet, & rebelles, ac præmiſſis non parentes, per Sententias, Cenſuras, & pœnas Eccleſiaſticas, aliaque opportuna Juris, & facti remedia, omni, & quacunque appellatione, recurſu, & reclamatione remotis compeſcendo, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis.

§. 6. Non obſtantibus, quatenus opus ſit, rec. mem. Bonifacii Papæ Octavi; etiam Prædeceſſoriis noſtri, de una, &

in Concilio generali edita de duabus diætis, cæterisque in contrarium facientibus quibuscunque.

§. 7. Ut autem præsentes, & in eis contenta quæcunque ad omnium notitiam deducantur, & ne aliquis de eis ignorantiam prætendere possit, volumus pariter, & mandamus, quòd eædem præsentes per aliquem, seu aliquos ex cursoribus nostris ad Ecclesiæ Lateranensis, & Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe, nec-non Cancellariæ Apostolicæ valvas, ac in acie campi Floræ affigantur, & publicentur, & cùm inde amovebuntur, earundem exempla in eisdem locis affixa dimittantur: quæ sic publicatæ, & affixæ post duos menses à die publicationis computandos, omnes & singulos, quos concernunt, perinde afficiant, & arctent, ac si unicuique illorum personaliter intimatæ, & notificatæ fuissent.

§. 8. Quòdque illarum transumptis impressis, sigillo alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, & manu alicujus Notarii publici subscriptis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

DATUM Romæ apud ſanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris, die 5. Julii 1634. Pontificatus noſtri anno undecimo.

*Anno milleſimo ſexcenteſimo trigeſimo quarto, indictione ſecunda, Pontificatus S. D. N. D. Vrbani divina providentia Papæ octavi, die verò 5. Septembris ſupradicta littera, ſive Decretum affixum, & publicatum fuit ad valvas Baſilicarum S. Ioannis in Laterano, & Principis Apoſtolorum Vrbis, ac in acie campi Floræ, ut moris eſt per me Alexandrum Latinum prælibati S. D. N. Papæ Curſ.*

Pro D. Mag. Curſ. Dominicus Mang. Curſ.

# BREVE
## S.D.N. INNOCENTII X.

*CONTINENS*

*Nonnullas resolutiones in favorem Illustrissimi & Reverendissimi Episcopi Angelopolitani.*

Contra RR. PP. Societatis Jesu Provinciæ Mexicanæ in quatuor Congregationibus habitis obtentas.

*Nec-non intimationem ejusdem, Reverendissimo Generali Iesuitarum.*

Una cum Responsione pro illius observatione.

*In nomine Domini. Amen.*

PRæsenti publico instrumento cunctis ubique pateat evidenter & sit notum: Quod anno à Nativitate Domini 1653. indictione 6. die vero 23. mensis Augusti Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris, & D. N. D. Innocentii divinâ Providentiâ Papæ X. anno nono, pro Illustrissimo & Reverendissimo D. D. Joanne de Pala-

fox & Mendosa Episcopo Angelopolitano in Indiis Occidentalibus contra Reverendissimum Patrem Cassuvinum Nichiel Præpositum Generalem, nec-non admodum R. P. Pirrum Gherardum Procuratorem Generalem Societatis Jesu, & alios Clericos Regulares ejusdem Societatis in dictâ Angelopolitanâ Diœcesi commorantes, & eorum quemlibet tam conjunctim, quam divisim, & alias omni, &c. In officio Joannes Radica S. D. N. Papæ Cursor, &c. retulit in scriptis se die 16. hujus intimasse & executum fuisse personaliter Monitorium in Actis expeditum super paritione, executione, & observantiâ plurium litterarum Apostolicarum in eo præinsertarum, traditâ copiâ collationatâ dicto Reverendissimo Patri Generali & Procuratori generali, prout in dicto Monitorio originali, quod factô reproduxit, prout in octo foliis quæ facto dedit tenoris sequentis: Videlicet. INNOCENT. PAPA X. ad futuram rei memoriam. Alias à nobis emanarunt litteræ in simili forma Brevis tenoris sequentis, videlicet INNOCENT. PAPA X. Ad futuram rei memoriam. Cum, sicut accepimus, aliquæ fuerint ortæ differentiæ inter Venerabilem Frat. Joannem Episcopum Angelopolitanum, sive populi

ſanctorum Angelorum in Indiis Occidentalibus ex unâ ; & dilectos filios Clericos Regulares Societatis Jeſu partibus ex alterâ, de & ſuper munere prædicationis verbi Dei tam in propriis eorumdem Clericorum Regularium, petita ſolum Epiſcopi benedictione, quam in alienis Eccleſiis petitâ & obtenta ab eodem Epiſcopo Diœceſano licentiâ exercendi ; necnon ſuper confeſſionibus laïcorum audiendis prævio examine, ſive approbatione ejuſdem Epiſcopi Diœceſani, quæ dicti Clerici Regulares in vim privilegiorum prædictæ Societati Apoſtolicâ auctoritate conceſſorum ſibi proprio jure licere prætendebant : Et deſuper in partibus fuerit deventum ad plures actus judiciales, & pro parte Clericorum Regularium hujuſmodi ad electionem conſervatorum privilegiorum hujuſmodi : Nobiſque tam dicti Joannis Epiſcopi, quam eorumdem Clericorum Regularium nomine pro ſopiendis differentiis hujuſmodi, quædam dubia deciſionum differentiarum prædictarum, nec-non Juriſdictionem Ordinariorum in exemptos, & ipſorum Clericorum Regularium exemptionem à Juriſdictione Ordinarii concernentia fuerint propoſita, atque ambæ partes reſponderi, &

quid desuper observandum sit auctoritate nostrâ Apostolicâ statui & stabiliri desiderabant. Nos, qui omnium Fidelium & præsertim Ecclesiasticorum quieti libenter incumbimus, differentias prædictas, totumque negotium particulari Congregationi aliquorum Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium & dilectorum filiorum Romanæ Curiæ Prælatorum examinanda commisimus, qui, auditis sæpius Procuratoribus prædicti Joannis Episcopi, nec-non Procuratore generali Societatis prædictæ, negotio maturè discusso, omnibus dubiis & petitionibus hinc inde propositis responderunt prout sequitur. Videlicet, Sacra Congregatio à Sanctissimo Domino nostro deputata super controversiis vertentibus inter Episcopum Angelorum in Indiis Occidentalibus, & Religiosos Societatis Jesu sæpius auditis procuratoribus ab eodem Episcopo ad Urbem delegatis, nec non ipsius Societatis Procuratore generali, negotioque accurate discusso censuit, prædictos Religiosos nequaquam posse in Civitate & Diœcesi Angelopolitanâ personarum sæcularium confessiones audire sine approbatione Episcopi Diœcesani, nec verbum Dei prædicare in Ecclesiis sui Ordi-

nis, non petitâ ipſius benedictione, nec in aliis Eccleſiis ſine ejus licentiâ, nec in Eccleſiis etiam ſui Ordinis ipſo contradicente & contraveniente, ab Epiſcopo tanquam Sedis Apoſtolicæ delegato coerceri & puniri poſſe, etiam cenſuris Eccleſiaſticis in vim Conſtitutionis Sanctæ memoriæ Gregorii XV. quæ incipit, Inſcrutabili Dei providentia; ac proindememoratis Religioſis, qui hujuſmodi approbationem ac licentiam ſe obtinuiſſe non docuerint, potuiſſe Epiſcopum, ſeu ejus Vicarium Generalem præcipere ſub pœnâ excommunicationis latæ ſententiæ, ut à confeſſionibus audiendis & verbi Dei prædicatione abſtinerent: Nec ob eam cauſam licuiſſe dictis Religioſis, quaſi à manifeſtis injuriis & violẽtiis, eligere Conſervatores, eoſque, ut prædicitur, electos, in Epiſcopum ejuſque Vicarium Generalem indebite ac nulliter excommunicationem fulminaſſe. Cæterum ſacra Congregatio ſerio in Domino hortatur ac monet Epiſcopum, ut Chriſtianæ manſuetudinis memor erga Societatem Jeſu, quæ laudabili ſuo inſtituto in Eccleſiâ Dei tam fructuoſe laboravit, ac ſine intermiſſione laborat, paterno ſe gerat affectu, eamque in regimine Eccleſiæ ſuæ perutilem adjutricem

agnoſcens benigne foveat, ac priſtinæ ſuæ benevolentiæ reſtituat, quemadmodum Sacra Congregatio ipſum facturum confidit, ſibique certò pollicetur, cum ejus zelum, pietatem, ac paſtoralem ſollicitudinem compertam habeat. DATUM Romæ die 16. Aprilis an. 1648. Et præmiſſorum occaſione pro parte prædicti Joannis Epiſcopi, nec-non Religioſorum Societatis Jeſu in eadem Congregatione propoſita fuerunt diverſa dubia de mandato Sanctiſſimi reſolvenda, quæ quidem Sacra Congregatio, ſæpius auditis ut ab in præmiſſis ab eodem Epiſcopo ad urbem miſſis, nec-non Procuratore generali ab ipſius Societatis, negotioque mature perpenſo, ac ſingula dubia ab utrâque parte propoſita reſpondit ordine quo ſequitur. 1. An in caſu quo Epiſcopus præcipiat decreta aliqua Concilii Tridentini à Regularibus obſervari & executioni demandari, Regulares quicumque, etiam Societatis Jeſu ſub prætextu quod hujuſmodi præcepta infringant ſua privilegia, poſſint eligere Conſervatores? Congregatio reſpondit: Si Epiſcopus præcipiat Regularibus, etiam Societatis Jeſu, ut decreta aliqua Concilii Tridentini obſervent ac exequantur; In illis caſibus in quibus per ipſum Concilium

vel Constitutiones Apostolicas Regulares exempti subjiciuntur jurisdictioni & correctioni Episcopi, minime licere ipsis Regularibus ob eam causam Conservatores eligere. 2. An quando Ordinarius procedit Juris ordine servato adversus Regulares prædictos, in casibus, in quibus per Concilium Tridentinum vel Constitutiones Apostolicas ipsi subjiciuntur, possint Conservatores Judices assignare? Respondit, ut ad proximum non posse. 3. An Regularibus, etiam Societatis Jesu, asserentibus se habere privilegia, quominus obediant Episcopo in executione decretorum Juris Communis Concilii Tridentini & Constitutionum Apostolicarum, Ordinarii debeant ipsis adhibere fidem absque exhibitione hujusmodi privilegiorum? Respondit, Ordinarios non teneri hujusmodi assertioni fidem adhibere absque integrâ privilegiorum exhibitione. 4. An in casu, quo Regulares quicumque, etiam Societatis Jesu, exhibeant aliqua privilegia, & Ordinarii judicent ea non suffragari casui de quo agitur, & ad rem non facere, Regulares possint & debeant provocare ad summum Pontificem, vel in partibus Indiarum remotissimis ad Metropolitanum, sive Ordinarium viciniorem, vel

potius poſſint hoc caſu eligere Conſervatores? Reſpondit, Si verba privilegiorum ſint obſcura & ambigua, non licere recurrere ad Metropolitanum, vel viciniorem Epiſcopum, nec Conſervatores eligere, ſed ſummum Pontificem pro interpretatione eſſe adeundum. 5. Utrum Conſtitutio fel. record. Gregorii XV. circa Conſervatores Regularium publicata anno 1621. cum declarationibus Eminentiſſimorum S. Congregationis Concilii Tridentini Interpretum deſuper editis æque afficiat & comprehendat Religioſos Societatis Jeſu, ac reliquos Regulares; ita ut omnia alia prædicta Societatis privilegia fuerint reducta ad terminos dictæ Conſtitutionis, & ſic in poſterum ab his debeant eligi Conſervatores juxta formam & tenorem prædictæ Conſtitutionis? Reſpondit, Hujuſmodi conſtitutionem cum declarationibus, &c, ut præfertur, editis, æque afficere Religioſos Societatis Jeſu, atque aliorum Ordinum, & Conſervatores ad illius præſcriptum eſſe eligendos, nonobſtantibus quibuſvis privilegiis, quippe quæ omnia ſunt reducta ad terminos ipſius Conſtitutionis. 6. An Regulares prædicti ære alieno gravati, vel ad ratiocinia obligati, vel Teſtamentorum Executores poſſint

conveniri coram Ordinario, si Conservatores non nominaverint intra tempus habile ab Ordinario præscriptum? Respondit, Regulares in causis præfatis coram Ordinario loci esse conveniendos, si ad præscriptum Constitutionis sanctæ memor. Gregorii XV. Conservatores non elegerint, ipsiusque electionis documentum intra præfinitum tempus in actis Curiæ ipsius Ordinarii non exhibuerint ac dimiserint. 7. An dicti Regulares, Conservatores sive ad jura, sive ad privilegia tuenda assumentes teneantur ante exercitium Commissionis præstare cautionem coram Ordinario, sive alio Judice competenti de judicio sisti & judicatum solvendo, casu quo in lite, sive causâ succubuerint? Respondit non teneri. 8. An quando Episcopi jura, vel decimas cathedralium adversus Regulares prædictos dote suâ spoliantes Ecclesias coram Judice competente tuentur, librosque, memorialia & allegationes producunt, jus Ecclesiarum cathedralium exprimentes, & acquisitiones Religiosorum, aliaque id generis annumerantes, hujusmodi scriptorum occasione possint Regulares nominare Conservatores & prætendentes injuriam sibi inferri in referendo immoderatas acquisitiones? Respondit,

Si Epiſcopi pro tuendis juribus cathedralium Ecclcſiarum coram Judice competenti hujuſmodi ſcripta producant, & Regularium immoderatas acquiſitiones veraciter & modeſte referant, non licere Regularibus ob eam cauſam ad Conſervatores recurrere. 9. Utrum Regulares quicumque, etiam Societatis Jeſu, poſſint adminiſtrare Sacramentum Pœnitentiæ ſæcularibus abſque licentiâ Epiſcopi Diœceſani, etiamſi in alienâ Diœceſi approbati ſint? Reſpondit Regulares, etiam Societatis Jeſu, in una Diœceſi ab Epiſcopo approbatos ad confeſſiones perſonarum ſæcularium audiendas nequaquam poſſe in alienâ Diœceſi hujuſmodi confeſſiones audire ſine approbatione Epiſcop Diœceſani. 10. An Epiſcopus contra dictos Regulares audientes in ſuâ Diœceſi confeſſiones ſæcularium abſque ſua approbatione, vel Concionatores abſque licentiâ Epiſcopi intra & extra proprias Eccleſias poſſit procedere, eos à talibus miniſteriis removendo, ſive præceptis & aliis juris temediis coercendo? Reſpondit eiſdem Regularibus qui confeſſiones perſonarum ſæcularium audiunt ſine approbatione Epiſcopi loci, vel prædicant in Eccleſiis ſui Ordinis non petitâ illius benedictione,

aut in aliis Ecclesiis absque ipsius licentiâ, vel in Ecclesiis etiam sui Ordinis ipso contradicente, posse Episcopum in vim Constitutionis fel. rec. Greg. XV. quæ incipit, Inscrutabili Dei providentia, tanquam Sedis Apostolicæ delegatum administrationem sacramenti Pœnitentiæ ac munus prædicationis interdicere, eosque juris remediis coërcere & punire. 11. An quando Episcopo constat dictas licentias obtentas non fuisse, ipse possit præcipere, ut, donec licentiam intra præscriptum tempus exhibeant, à tali ministerio abstineant, & an requirendus sit per Episcopum pro his exhibendis Provincialis in aliâ Diœcesi, vel longissime existens, vel ipsi Regulares Confessarii, vel eorum Superiores ejusdem Diœcesis, in quâ prædicta exercentur? Respondit posse Episcopum sic præcipere, nec pro hujusmodi licentiis requirendum esse Provincialem, sed satis esse ipsos Religiosos requirere, aut eorum superiores in Diœcesi Episcopi existentes. 12. An si contingat, ut aliquis prædictorum Regularium insurgat contra Episcopum in propria Diœcesi maledictis cum scripto vel dicto populum scandalisando, possit ab Episcopo puniri & quâ animadversione? Et quid, si hujus-

modi delinquens transiverit ad aliam Diœcesim, hoc casu servandum sit? Et quâ pœna puniendus sit Regularis, qui commorans in unâ Diœcesi spargat famosos libellos contra Ordinarium alterius Diœcesis? Respondit, si Regulâris intra claustra degens extra ea in casibus in dubio expressis ita notoriè deliquerit, ut populo scandalo sit, Episcopo instante teneri Superiorem Regularem intra tempus ab Episcopo præfigendum severe illum punire, ac de punitione Episcopum certiorem facere, alioquin sic delinquentem ab Episcopo puniri posse ad præscriptum Concilii Tridentini cap. 14. sect. 25. de Regul. Quod si delinquens ad aliam Diœcesim migraverit, servandum esse quod præcipitur in Constitutione sanctæ memoriæ Clementis VIII. incipiente, Suscepti muneris ratio. 13. An Conservatores nominati & electi à Regularibus prædictis ante exercitium suæ Religionis, teneantur electionis documentum authenticum exhibere coram Ordinario sub pœnâ nullitatis actuum? Respondit utique teneri. 14. An privilegia quæ sunt contra jurisdictionem Ordinarii, & quibus gaudent & gaudere prætendunt Regulares prædicti, debeant Episcopis notificari sive insinuari? Ref-

pondit Regulares teneri hujusmodi privilegia Episcopo exhibere, si eis uti voluerint. 15. An prædia rustica metallorum, fodinæ, saccari, opificinæ à Regularibus Societatis Jesu vel aliis possessa, vel aliæ domus sæculares, in quibus videlicet unus vel duo Regulares tantum commorantur, gaudeant privilegio, Collegiorum seu Conventuum? Respondit non gaudere. 16. Utrum Regulares prædicti apothecas quarumcumque mercium, macella, & similia, præsertim prope Collegia sive Conventus exercentes, possint ab Ordinario sub censuris inhiberi, ne hujusmodi exerceant? Respondit non posse Episcopum hoc prohibere Regularibus exemptis; sed si in præmissis ita notorie delinquant extra claustra, ut populo scandalo sint, servandum esse quod dictum esse supra in responsione ad duodecimum. 17. Utrum Regulares, etiam Patres Jesuitæ, in suis prædiis, opificinis, aliisque suis domibus sæcularibus sitis intra limites Parochiarum ad se non spectantium possint administrare sacramentum Baptismatis, solemnis Matrimonii, Extremæ-Unctionis & Eucharistiæ in festo Paschatis, famulis, Mercenariis, rusticis, sive aliis id genus hominibus sæcularibus absque Ordinarii

vel Parochi licentiâ? Reſpondit non poſſe. 18. Utrum Patres Societatis in Civitate & Diœceſi Angelorum poſſint conſecrare vaſa ſacra, altaria, & ſimilia in quibus Unctio requiritur? Reſpondit itidem non poſſe. Pro parte vero Religioſorum Societatis Jeſu propoſita fuerunt infra ſcripta dubia. 1. An Epiſcopi in partibus Indiarum poſſint ex integro totum unum Monaſterium vel Collegium ab audiendis Confeſſionibus ſuſpendere? Reſpondit Epiſcopos Indiarum poſſe quidem omnibus ſimul unius Monaſterii vel Collegii Confeſſariis adimere facultatem audiendi Confeſſiones perſonarum ſæcularium, etiam inconſulta S. Congregatione Epiſcoporum & Regularium negotiis præpoſitâ, cum decretum ab ea editum ſub die 20 Novembris 1615. ex intentionis defectu & convenientiâ morali non extendatur ad Regiones illas tam longe ab Urbe diſſitas. Verum ab hac generali ſuſpenſione, quæ vix ſine ſcandalo & animarum pernicie contingere poteſt, abſtinendum eſſe Epiſcopis, niſi graviſſimâ ſubſiſtente cauſâ, ſuper quos S. Congregatio illorum conſcientias graviter voluit eſſe oneratas. 2. An Epiſcopus Regularem pro Confeſſionibus ſemel approbatum ſi-

ne novâ causâ ſuſpendere poſſit ab ipſis Confeſſionibus audiendis? Reſpondit Regulares aliàs libere ab Epiſcopo prævio examine approbatos ad audiendas confeſſiones perſonarum ſæcularium, ab eodem Epiſcopo ſuſpendi non poſſe, ſine novâ causâ, eaque ad ipſas confeſſiones pertinente. 3. An Bulla Pii V. 34. in ordine Tom. 2. Bullarii conceſſa, inſtante & ſupplicante Sereniſſimo Rege Catholico, non ad petitionem Regularium, ſit revocata in Bullis ſummorum Pontificum in quibus exemptiones Regularium mitigantur? Reſpondit agendum cum Sanctiſſimo, an velit declarare Bullam non eſſe revocatam; illam tamen non ſuffragari, niſi in locis ubi eſt defectus Parochorum. 4. An Epiſcopus poſſit cum cenſuris procedere contra Regulares exemptos, ſi inobedientes fuerint in confeſſionibus audiendis, vel prædicatione verbi Dei; & hoc an vigore Concilii Tridentini, vel per quem canonem? Reſp. poſſe procedere, non quidem in vim Concilii Tridentini, ſed in vim Conſtitutionis Gregorii XV. quæ incipit, Inſcrutabili Dei providentia. 5. An licentiâ audiendi confeſſiones & prædicandi ab Epiſcopo, per litteras miſſivas; an ſolum per litteras Pa-

tentes Cancellariæ concedi poſſit? Reſp. concedi poſſe etiam per litteras miſſivas, vel ore tenus, ſi ita Epiſcopo videbitur. 6. An talis licentiâ ore tenus ſine ſcriptis concedi poſſit? Reſp. ut ad proximum. 7. An facultas eligendi Conſervatores conceſſa Societati à Greg. XIII. ſuffragetur illis in locis, in quibus non adſunt judices Synodales. Reſp. ubi non ſunt, judices Synodales, privilegium Greg. XIII. non ſuffragari; quo ad hoc, ut Societas non teneatur ex illis eligere Conſervatores; dummodo tamen in reliquis ſervetur forma Conſtitutionis Gregorii XV. hac de re editæ. 8. An Conſervatores Societatis Vicarios Generales Epiſcoporum authoritate Apoſtolicâ per Sententias, Cenſuras, & pœnas Eccleſiaſticas compellere poſſint virtute Bullæ Gregorii XIII. incipientis, Æquum reputamus, datæ ultima Februarii 1573. Reſp. poſſe à manifeſtis injuriis & violentiis eos compeſcere, etiam cenſuris & pœnis Eccleſiaſticis. Datum Romæ die 16. Aprilis 1648. Quapropter ut præmiſſa firmius ſubſiſtant & inviolabiliter obſerventur, Nobis pro parte Joannis Epiſcopi hujuſmodi fuit humiliter ſupplicatum, ut illa autoritate Apoſtolicâ confirmare de benignitate Apoſtolicâ dignaremur. Nos

igitur D. Joannis Episcopi votis hac in re annuere, illumque specialibus favoribus & gratiis prosequi volentes, & eundem Joannem Episcopum à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure vel ab homine quavis occane vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium duntaxat consequendum, harum serie absolventes & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, præinserta responsa seu resolutiones autoritate prædictâ, tenore præsentium confirmamus & approbamus, illisque Apostolicæ firmitatis vim & robur adjicimus, & inviolabiliter observari mandamus, salvâ tamen in præmissis semper autoritate dictæ Congregationis; Decernentes sic & non aliter in præmissis, per quoscumque judices ordinarios, etiam delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales etiam de latere Legatos, judicari ac definiri debere, ac irritum & inane, si secus super iis à quoquam quavis autoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Nonobstantibus Apostolicis, ac in Universalibus, Provincialibusque & Synodalibus Conci-

ciliis, Edictis generalibus, vel ſpecialibus Conſtitutionibus, & ordinationibus; nec non Eccleſiæ Angelopolitanæ, ac Societatis prædictæ, etiam juramento, confirmatione Apoſtolicâ, vel aliâ quavis firmitate roboratis ſtatutis, conſuetudinibus, privilegiis quoque, Indultis & litteris Apoſtolicis eidem Eccleſiæ & Societati ſub quibuſcumque verborum tenoribus & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriis aliiſque efficacioribus & inſolilitis clauſulis, ac decretis, etiam irritantibus, etiam motu proprio, ac etiam conſiſtorialiter & alias in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis & innovatis. Quibus omnibus & ſingulis etiamſi pro ſufficienti illorum derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, ac de verbo ad verbum; non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia expreſſa forma ad hoc ſervanda foret, illorum omnium & ſingulorum tenores præſentibus pro plene & ſufficienter expreſſis habentes; illis alias in ſuo robore permanſuris, ad effectum præmiſſorum ſpecialiter & expreſſe derogamus, cæteriſque

contrariis quibuſcumque. DATUM Romæ apud S. Mariam Majorem ſub annulo Piſcatoris die 14. Maii 1648. Pontificatus noſtri anno quarto. Et ſubinde cum Clerici Regulares Societatis prædictæ prætendentes ex pluribus capitibus præinſertas noſtras litteras non eſſe juſtificatas, novam deſuper à nobis audientiam obtinuiſſent. Nos negotium hujuſmodi particulari Congregationi nonnullorum Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium, ac dilectorum filiorum Romanæ Curiæ Prælatorum examinandum & definiendum commiſimus, qui pro partibus, etiam in contradictorio pluries auditis, eorumque oppoſitionibus maturè perpenſis, eaſdem præinſertas noſtras litteras eſſe juſtificatas, ac proinde illarum executionem nullatenus eſſe impediendam aut retardandam decreverunt.

Noſque deinde decretum hujuſmodi, ac omnia & ſingula in eo contenta, Apoſtolicâ autoritate confirmavimus. Poſtmodum vero petitâ etiam ab ipſis Clericis Regularibus dictæ Societatis novâ Audientiâ ſuper eorum Conſervatorum electione, & deputatione, emanavit itidem à particulari Congregatione nonnullorum Venerabilium Fratrum noſtrorum

ejusdem S. R. E. Cardinalium, ac dilectorum filiorum dictæ Romanæ Curiæ Prælatorum à Nobis super hoc specialiter deputatorum Decretum tenoris sequentis videlicet. Proposito dubio in causâ vertente inter Episcopum Angelopolitanum & Patres Societatis Jesu; An ex aliis caussis, quàm in Brevi expressis, fuerit locus electioni Conservatorum; Congregatio particularis nonnullorum S. R. E. Cardinalium & Romanæ Curiæ Prælatorum à S. D. N. super hoc specialiter deputata, repetito Mandato, ut pareatur Brevi in eo, in quo non fuerit paritum, Censuit non fuisse locum electioni talium Conservatorum, & in hac causâ perpetuum silentium esse imponendum, pro ut præsenti decreto imponit. DATUM die 17. Decembris 1652. Cum autem, sicut ejusdem Joannis Episcopi nomine Nobis nuper expositum fuit, ipse Decretum præinsertum, quo firmius subsistat Apostolicæ nostræ Confirmationis robore communiri summopere desideret: Nos ejusdem Joannis Episcopi votis hac in re benigne annuere, ac illum specialibus favoribus & gratiis prosequi volentes, & à quibusvis excommunicationis suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis

ſententiis, cenſuris & pœnis à jure vel ab homine quavis occaſione vel causâ latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, ſupplicationibus ejus nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, decretum præinſertum ac omnia & ſingula in eo contenta, Apoſtolicâ autoritate tenore præſentium confirmamus & approbamus, illiſque inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus, ac illa inviolabiliter obſervari Mandamus. Decernentes ſic & non aliter in præmiſſis per quoſcumque judices Ordinarios, & delegatos, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos judicari & definiri debere, ac irritum & inane ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis autoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari; Nonobſtantibus omnibus illis, quæ in eiſdem præinſertis litteris voluimus nonobſtare, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub annulo Piſcatoris die 27. Maii 1653. Pontificatus noſtri anno primo. G. Gualterius.

De Mandato Illuſtriſſimi ac Reveren-

co & tempore exhibendis latius continetur.

Ideo moneantur iidem Reverendissimi Pater Cassuvinus Nichiel Præpositus Generalis dictæ Societatis Jesu, omnesque etiam alii Clerici Regulares, Ministri, Assistentes, Procuratores, & Officiales ejusdem Societatis, & eorum quilibet in executione præsentium nominandi & cognominandi & sua quomodolibet tam conjunctim, quam divisim, & alias omni, &c. interesse putan. sibique vel in totum, vel in parte contentorum in litteris Apostolicis quovis modo tangen. & incumben etiam omni, &c. quatenus intra triduum proximum sub pœnâ ducatorum mille auri de Camera ipsi Cameræ Apostolicæ applicandorum & pro illis Mandati executivi, ac in juris subsidium Excommunicationis, Suspensionis à divinis, interdicti ab ingressu Ecclesiæ, aliarumque censurarum & sententiarum; nec non sub eisdem excommunicatione, suspensione, interdicto, & aliis censuris & pœnis arbitrio prædicti Illustrissimi & Reverendissimi D. A. C. sive dicti, aut alterius pro tempore existentis: ejus in civilibus causis locum tenentis, etiam omni meliori mo-

do & debeant & eorum quilibet debeat vere, & realiter & cum effectu litteras Apostolicas prædictas, omniaque & singula in eis contenta quæcumque observasse, adimplevisse & totali executioni demandasse, illisque in omnibus & per omnia juxta earum formam & tenorem omnino paruisse & obedivisse, & pro paritione & executione prædictis viden. & audien. fieri, ferri & promulgari, quascumque sententias declaratorias & definitivas de & super præmissis omnibus & singulis, & eorum quomodolibet necessarias & opportunas, decernique & relaxari quodcumque mandatum de manutenendo, & quatenus opus sit & non alias, &c. Deque, &c. Omni, &c. de immittendo, ac de reintegrando executivum ad factum & quodcumque aliud de super necessarium & opportunum, & alias pro uti quando & quoties opus fuerit, & facti necessitas & indigentia rei exiget, ac juris ordo dictabit, eidemque D. A. C. sive dicto ejus D. locum tenenti videbitur & placuerit expedire & cum eodem Illustrissimi D. instante deducen. circa præmissa omne jus suum, omnemque actionem sibi de jure quomodolibet competentem jure stetisse,

jusque & justitiam fieri & administrari vidisse præmisso & omni alio meliori modo, præsentibusque omnino paruisse; & si quis, &c. compareat, &c. Alioquin, &c. Et insuper supradictis omnibus & singulis monitis vel inonendis, ut supra in executione præsentium nominantur & cognominantur, inhibeatur, ne visis, receptis, aut executis præsentibus sub jam dictis sententiis, censuris, & pœnis audeant, nec præsumant, nec eorum aliquis audeat vel præsumat in præjudicium dicti Illustrissimi D. Episcopi instantis & contra formam, seriem & tenorem præinsertarum litterarum Apostolicarum, & contentorum in eis quicquam attentare, nec innovare, minusque attentari nec innovari facere per se, nec per alios, sub quovis prætextu, causa, ingenio, vel quæsito colore, quoniam in vim earumdem litterarum Illustrissimus Dominus ita mandavit, & nihilominus siquis, &c. compareat, &c. Alioquin, &c. Datum Romæ ex ædibus nostris, die 8. Augusti 1653. Præinsertæ litteræ Apostolicæ cum suo originali revisæ concordant. Joachinus Valtrinus Officialis deputatus, &c. Hi Datarius. Locus † sigilli D. Datarii, Franciscus Jacobus Belgius Notarius.

Locus † ſigilli eiſdem anno, indictione, menſe & Pontificatu, quibus ſupra, die vero decima nona Auguſti. Pro Reverendiſſimo Patre Generali, venerabilis Societatis Jeſu contra quoſcumque legitime comparituros pro Illuſtriſſimo & Reverendiſſimo D. Epiſcopo Angelorum in Indiis Occidentalibus, in Officio adm. R. P. Pirrus Gherardus Procurator Generalis dictæ Societatis in termino ejuſdem Monitorii cum præinſertâ copiâ duarum litterarum Apoſtolicarum expeditarum in forma Brevis ſub diebus 14. Maii anni 1648. & 27. Maii 1653. ſeu, &c. emanatarum ſuper terminatione certarum differentiarum ſeu controverſiarum alias verten. inter dictum Illuſtriſſimum & Reverendiſſimum D. Epiſcopum ex unâ, & R. R. Clericos Regulares dictæ Societatis commorantes in Diœceſi Angelopolitanâ pro animarum ſalute expedita per acta mei de præſenti menſe Auguſti ac dicto Reverendiſſimo Patri Generali per unum ex ſanctiſſimi Domini curſoribus intimati continentur, quatenus ſub certis in eo contentis pœnis debeat vere, realiter & cum effectu litteras Apoſtolicas prædictas, omniaque & ſingula in eis contenta quæcumque obſer-

váſſe ; adimpleviſſe & totali executioni demandeſſe, illiſque in omnibus & per omnia juxta eorum formam & tenorem omnino paruiſſe & obediviſſe, & alias latius, ut in copia dicti Monitorii ad quod, &c. dixit dictum Reverendiſſimum Patrem Generalem ipſumque comparentem omnes Apoſtolicas litteras quarum executio ipſis dirigatur, ſeu ad ipſos quomodolibet ſpectare dignoſcatur ab initio earum expeditionis ſupra caput reverentiſſime, provt tenentur recipere, ſeque promptos & paratos, & promptiſſimos & paratiſſimos pro illis omnino obſervandis animo & corde, ac verbis & facto ſemper & omni tempore exhibuiſſe & exhibere proindeque pro illarum obſervantiâ opus non fuiſſe nec eſſe compulſu litterarum Monitorialium ; in reliquis, ſi quid aliud ultra prædicta ex adverſo prætendatur, quod non creditur citra conſenſum in juriſdictionem, niſi ſi & quatenus opus ſit & non alias dixit ad illa non teneri, nec obligatos exiſtere, ac in illis & quo ad illa nihil fieri, niſi docto de legitimo mandato ex adverſo comparentis, ſeu comparentium & ſer. ſer. ver. ver. Alias, &c. omni, &c. modo, &c. ſuper quibus omnibus & ſingulis præmiſſis pe-

ritum fuit à me Notario publico infrascripto, ut unum vel plura, publicum, seu publica conficerem & traderem instrumentum & instrumenta. Actum Romæ in Officio mei Notarii infrascripti, diebus & anno prædictis, præsentibus DD. Dominico Buratto & Muttio Gallo Connotariis, testibus ad præmissa vocatis, habitis atque rogatis. Ego Franciscus Jacobus Belgius Virdunen. Cur. causarum Cameræ Apostolicæ Notarii de præmissis rogat. præsens instrumentum suscripsi & publicavi reg.

EXCERPTA EX INSTRUCTIONE

*Missâ à S. Congregatione de propag. Fid. ad Vic. Apost. in Indias proficiscentes.*

*Antequam discedant.*

QUONIAM vos eâ etsi diligentiâ & is quoque est in natione Gallorum Religionis zelus & pietas, ut jam à vobis & multi ad hanc Sinensem Missionem invitati sint, & multi quoque sponte sua sese ultrò obtulerint, nolite facilè omni spiritui credere, sed probate spiritus si ex Deo sunt. Experientiâ namque compertum est plurimos, nescio quo pietatis impulsu actos, maximè ubi pauló fervidior natura est, ad opera pia & sancta ruere magis quam ferri, & quoniam in his virtus radices non jecerat, ubi primus ille fervor resederit, ipsis laborum primordiis fractos animos dimittere & ab aratro retrò respicere.

Hoc itaque inprimis curandum vobis est, ut inter plurimos magno studio perquiratis ac secernatis viros ætate ac corporis valetudine sustinendis laboribus idoneos, tum vero, quod pluris est, non mediocri charitate ac prudētia insignitos,

quas virtutes non aliorum judicium & conjectura, sed diuturnus rerum usus & experientia, aliis in muneribus cum laude peractis probaverit, qui secretorum sint capaces, tenacesque custodes, qui gravitate morum, comitate, mansuetudine, patientia, humilitate, & omni virtutum exemplo Christianæ fidei, quam ore profitentur, opere adstipulentur, qui denique, ad Evangelicæ charitatis normam efformati, aliorum sese ingenio ac moribus accommodantes, nec sociis quibus cum vixerint, graves, nec exteris invisi ingratique reddantur, sed cum Apostolo fiant omnia omnibus.

*In ipso itinere.*

Maxime cavendum est à regionibus & locis subjectis dominio temporali Principum Christianorum, quæve illis quomodolibet sunt obnoxia quæ nec prope quidem quoad fieri poterit salutaveritis in itinere. Cum verò perveneritis, nec Macaum, nec alia loca, quæ Lusitanis parent, etiamsi intra fines vestræ administrationis comprehendantur, ad vestram pertinent curam. Quamobrem vel per Persiam & regna Mogolis iter instituendum, vel

etiam mari, ſi navis aliqua ſeſe opportune obtulerit, quam certò noveritis recta in Sinas profecturam.

Abſtinendum etiam à divulgando nomine veſtræ Miſſionis, niſi fortè gravis neceſſitas id exigat; quapropter nomina veſtra, patriam, habitumque ipſum commutate, iter, curſum itineris, inſtitutum & inprimis terminum, & quod omnium caput eſt, Epiſcopalem dignitatem ſubticete. Jam longis vero itinerum ſpatiis vel mercaturam obtendite, vel ingenitam Europeis alienas regiones peragrandi, & dignoſcendi curioſitatem. Quod ſi denique neceſſitas ipſa caſuſque ferat ut Miſſionarios vos eſſe fatendum ſit, fateamini licet, verùm longè aliò quam ad Sinas deſtinatos.

Regionum per quas tranſieritis & itineris veſtri brevem deſcriptionem facite; & quidquid per viam didiceritis huc ſcribendum eſt eo modo atque ratione, qua ſuo mox loco præſcribetur.

Inter itinerandum diligentiſſimè inquirendum eſt num quis ſit modus, quo in Europam litteræ perferantur, num quis fidus vir cui litteræ tutô committantur, cum hoc ſicubi occurrerit, amicitia ineunda, mutua officia præſtanda, ſed taci-

to vestræ Missionis secreto. Hortandus est ut litteras in Europam vestras sedulò curet. Investigandum est ab hujusmodi homine; num quidpiam in Europa sua causa velit, & offerte liberaliter operam vestram, & cui opus fuerit, scribite nomen, sedem, & negotia hominis & commendatitias ejusdem epistolas.

Quas verò occasiones nacti fueritis, earum nullam prætermittite ad hanc sanctam Congregationem procuratoresque rerum vestrarum scribendi ea omnia quæ vobis in toto itineris cursu acciderint.

Difficultates maximè itineris enarrate omnes, & rationes quibus vos eas superaveritis, ut qui vos sequentur, eas superare facilius possint.

Quo perveneritis observate ibidem diligenter quæ ad fidei propagationem, animarum salutem, & Dei gloriam promovendam pertinent, statumqne Christianitatis, Missionum, & Missionariorum, Hinc tamen cavendum est existimetis ullum vobis visitatoris munus aut jus tributum esse, sed ita res investigate ut Christianæ charitatis causa excitasse videatur vestram inquirendi curiositatem, non alius finis.

Si quis vestrum sociorumque vestrorum

infirmitate correptus fuerit, eaque inter paucos dies habitura finem ſperetur, præſtolandum paulisper eſt, quo uſque convaleſcat & iter vobiſcum proſequatur. Sin longius protractum iri ægritudinem conſpexeritis, & elabi interim itinerandi opportunas occaſiones, commendandus eſt infirmus piis, religioſiſque viris, & maximè Miſſionariis, ſi quos offenderitis, aut ſi mavultis, veſtrûm aliquem cum eodem relinquite auxilio ſimnl ſolatioque futurum, & poſtmodum cum eodem iter arrepturum & vos ſtatis locis conſecuturum.

Viribus omnibus incunctanter contendite, ut ad veſtram Miſſionem quo Deus vos vocavit, quàm celerrimè perveniatis, nevè ullo pietatis ſive charitatis prætextu quamvis maximo, patiamini vos à recto itinere, vel tantillum detineri aut deflectere. Inordinata ſiquidem eſt charitâs, quæ maximæ populorum vobis commiſſorum indigentiæ vos ſubtrahit, ut aliis opem feratis.

*In ipſa Miſſione.*

Potiſſima ratio quæ ſacram hanc Congregationem movit ut vos Epiſcopos in

has regiones mitteret, ea fuit ut omnibus modis atque rationibus curaretis juventutem illam sic instituere ut Sacerdotii capaces reddantur, & à vobis consecrentur, suisque locis per vastas illas regiones collocentur, rem illic Christianam summa diligentia vobisque diligentibus curaturi. Itaque hunc finem semper ob oculos habetote, ut ad sacros Ordines quamplurimos & quam aptissimos adducatis, instituatis, & suo tempore promoveatis.

Quod si ex illis quos provexeritis occurrerint nonnulli Episcopatu digni, nolite, ( atque hoc districtissime vobis prohibetur,) hujusmodi aut eorum aliquem tantæ dignitatis caractere insignire, sed ad hanc sacram Congregationem prius scribite eorum nomina, dotes, ætatem, & quidquid demum sciri par est, uti quo in loco consecrari possint, quibus diocœsibus præfici, & innumera hujusmodi ut mox dicetur.

Et quoniam ex obedientia Episcoporum erga sanctam sedem Apostolicam pendet totius Ecclesiæ unitas, sanctorum communio, hæresum & schismatis, quod maximè in tam longinquis Regionibus timendum est, aversio atque propulsatio, non solum vos obsequiosissimos præsta-

te erga Romanum Pontificem; verum etiam omnem operam adhibete ut Sinenses cæteræque nationes vobis subditæ existiment orthodoxæ fidei firmitatem atque regulam in eo consistere, ut ipsi quoque hanc sanctam Sedem uti Magistram & Spiritus sancti organum revereantur, ipsius mandatis & dispositionibus in his quæ ad spiritualia pertinent exactissimè subjaceant, eam in difficultatibus consulant, ejusque resolutionibus dirigi se libenter patiantur, quod vestrûm potissimùm exemplo qui eorum duces estis, planius atque æquabilius reddetur.

Itaque nolite quidquam magni momenti gerere sine hujus sacræ Congregationis mandato earumque rerum, quas pro vestro munere temporisque necessitate gesseritis, rationes ad hanc S. Congregationem sic scribite, ut Sinenses intelligant in negotiis gravioris momenti consulendam esse Apostolicam sedem, eosque omni cura inducite, ut hùc sæpissimè scribant & per litteras sententiam summi Pontificis exquirant atque responsa expectent.

Et ne locorum distantia & difficultate recursus perterriti Sinenses obtendant forsan eam Religionem capescendam non

esse, cujus capitis oracula vix unquam illuc pervenire possunt, vestro exemplo ostendite quibus mediis Romani Pontificis etiam irrequisiti sollicitudo distantiæ defectum suppleat per Episcopos; nimirum amplissimis facultatibus munitos. Quod si Deus dederit Christianam illic Religionem firmius radices agere, etiam per nuntios nulla cujusvis dispendii atque incommodi ratione habita plenius suppleturam, ut in aliis licet non tam dissitis regionibus nullo prorsus incommodo fit.

Si in exequendis sacræ Congregationis mandatis tam magnæ vobis difficultates occurrerint, ut sine tumultu non possint acceptari omninò, cavete ea invitis obtrudere, & ob aliorum inobedientiam dissensiones serere, mentes alienare, animos exacerbare, verum indulgendo tempori & Neophytorum infirmitati compatiendo, mandata in præsens omittere satius erit, quousque ad sacram Congregationem rem omnino sinceritate summa præscribatis, eaque quid sit agendum rescripserit.

Cum gentium conversioni & unitati fidei nihil magis officiat, subtrahatque pœnè modum omnem Evangelicum in universum mundum invehendi, quam litterarum

& commercii cum Christiano orbe, & maximè cum sede Apostolica difficultas, eo major debet esse vestra cura & diligentia atque studium, ut litteræ ultro citroque quam tutissime & dentur & reddantur. Hoc ergo ante omnia præfigendum est vobis, ut huc litteras quam frequentissime scribatis, quod ut acuratius præstetur, districtius in Domino præcipitur.

Ut vero litteræ vestræ securè perveniant quò diriguntur, eas per plures tabellarios viasque mittite, atque etiam diversa earumdem paradigmata per eandem viam crebrò iterate. Scitote autem litterarum commercium sic vobis commendatum atque imperatum, ut si illud neglexeritis nullum à vobis errorem commissum iri noveritis qui sacræ huic Congregationi magis molestus futurus sit, ac cui difficilius indulgeatur.

Rerum politicarum negotiorumve quæ principes & rerumpublicarum Rectores offendant, nihil omninò huc scribite, sed rerum hujusmodi plenam uberemque enarrationem in opportuna tempora reservate.

Si litteris ipsis diffiditis & res urgentissimæ acciderint, quæ sciri omnino oporteat, unus etiam ex vestris Missionariis ad

breve tempus extra fines provinciæ excurrat ſtatum rerum tuto ex loco Romam ſcripturus, quam ob idipſum nihil celabitis modo fidus ſit & Religionis ſtudioſus. Antequam verò diſcedat, exeundi à vobis facultatem obtineat ſcriptam, in qua ei locus præſcribatur quò recta contendat, & tempus intra quod revertatur. Poſtquam verò ſcripſerit, quæ vos ſcribenda jubebitis, in ſuam mox redeat provinciam neque reſponſiones expectet ne quid interim Chriſtiana res detrimenti patiatur ex illius abſentia.

Miſſionarii porro ipſi ſi velint ſcribere, tantum abeſt ut impediendi ſint, ut è contrariò ad id faciendum modis omnibus invitare debeatis, & omninò jubeatis. Litteras vero eorum nec aperite nec legite, nec quid contineant ullo pacto inveſtigate, modo ne politica & principes offenſura ſcribant, quod diſtrictiſſimè prohibete.

Ad vos verò ipſos ſcribendi ex iis locis ad quos eos deſtinaveritis nullam prætermittant occaſionem.

Cæterum quoties tutò ſcribi poteſt aut quoties huc quempiam mittetis, eum ſic paratum atque inſtructum mittite ut pleniſſimè ſatisfacere queat omnibus inter-

rogationibus quas in annexo vobis folio conſpicietis.

Si quis Regum, Principum, Magiſtratum potentiumque inſpirante Deo benevolam in vos mentem oſtendat aut benignam erga Chriſtianam Religionem propenſionem exhibeat, grati eſtote, ſed ad cavendam invidiam nolite poſcere privilegia, exemptiones, inſueta tribunalia. Eorum vero juriſdictionem nullo modo imminuite, ſi quod porro obtinueritis quod nec odioſum ſit, & in augmentum Religionis cedat, id non jure ſuo impetratum eſſe jactitate, ſed ex mera principum benignitate profectum; & hoc omninò fugite ut ſibi rebuſque ſuis vel minimum à vobis timeant. Quare ſuſpicionum omnium vel ipſas umbras evitandas eſſe arbitrandum eſt.

Tam longe ſemper abeſte à rebus politicis, negotiiſque ſtatus, ut civilium rerum adminiſtrationem ne quidem rogati & enixis precibus fatigati ſuſpiciatis. Quam ſemper rem ſacra hæc Congregatio & ſeriò & diſtrictè prohibuit & porro prohibebit. Quare vobis & veſtris idipſum eſt diligentiſſime cavendum, & hoc vobis certiſſimò perſuaſum ſit, rem ſacræ Congregationi moleſtiſſimam facturum

eum, quicumque se rebus hujusmodi ingesserit aut etiam immisceri se siverit. Neque id modò cum res cedit in detrimentum Religionis & in distractionem Missionariorum; verum etiam tum quoque cum certissima spes affulget inde Religionem augendi & fidem longè latèque propagandi.

Neque vobis hac in parte quidquam suffragabitur aliorum licet Religiosorum hominum exemplum; quod fortasse in excusationem vestram adduxeritis, vos è contra illis exemplo præite ut ex vobis & illi & populi sanctæ sedis mentem ediscant. Verbum enim Dei non his artibus, sed charitate, rerum humanarum contemptu, modestia, frugalitate victus, patientia & oratione aliisque virorum Apostolicorum virtutibus disseminandum est.

Imò verò data opera curate ut intelligant omnes quam longè absint à sanctæ Congregationis mente similia, & quam districtè & seriò suis Missionariis prohibeat, quove stomacho excipiantur, si quæ ejusmodi ex Missionariorum relationibus advenerint.

Itaque noverint atque deprædicent vos ac vestros à similibus plurimum abhor-

rere, nihilque præter spiritualia animarumque salutem intendere, vestrosque labores, desideria, mentem ad cœlestia dumtaxat omnibus aliis exclusis directam esse.

Quod si quem ex vestris in absurditatem ejusmodi prolabi senseritis, nulla interposita mora ex Missionibus dimittite atque expellite, nihil enim in vestram perniciem aptius & ad Dei causam, quam præ manibus habetis, deterius excogitari potest.

Si tamen Principes consilia quandoque vestra conquisierint, non nisi multoties rogati, & prohibitionem nostram hanc causati, dabitis ea quæ fidelia sunt & justa, æternitatemque sapientia. Mox verò curiam aulamque illicò relinquite & in Diœceses vestras discedite functionibus sacris vacaturi, & potius quam illic remaneatis, fingite omnimodam rerum politicarum insipientiam & civilis administrationis ineptitudinem, ut bona ipsorum venia quam ocyssime egrediamini ex loco periculis pleno.

Populis verò prædicate obedientiam erga Principes etiam discolos, pro quorum prosperitate & salute tam privatim quam palam Deum ex animo orate; illorum

actiones etiam persequentium nolite carpere, nec severitatem arguite, nec quidquam in eis reprehendite, sed in patientia & in silentio tempus consolationis à Domino præstolemini.

Factiones ullas in eorum Regionibus sive Hispaniarum, sive Gallorum, sive Turcarum, sive Persarum similiumve nolite ullo pacto seminare, imò vero omnes hujusmodi contentiones quantum in vobis est radicitus tollite.

Quod si quis vestrorum Missionariorum hæc monitus, non tamen à similibus abstinuerit, nulla interposita mora in Europam dimittite, ne sua imprudentia negotia Religionis tanti momenti in periculum adducat.

Nullum studium ponite, nullaque ratione suadete illis Populis ut ritus suos, consuetudines & mores mutent, modò ne sint apertissime Religioni & bonis moribus contrariæ. Quid enim absurdius quam Galliam, Hispaniam, aut Italiam vel aliam Europæ partem in Sinas invehere? Non hæc sed Fidem importate, quæ nullius Gentis ritus aut consuetudines, quæ modò prava non sint, aut respuit, aut lædit, imò vero certa tecta esse vult.

Et quoniam ea pœnè eſt hominum natura, ut ſua & maximè ipſas ſuas nationes cæteris & exiſtimatione & amore præferant, nulla odii & alienationis cauſa potentior exiſtit quam patriarum conſuetudinum immutatio, earum maximè quibus homines ab omni Patrum memoria aſſuevere, præſertim ſi abrogatarum ~~mores~~ loco tuæ nationis ſubſtituas & inferas; itaque uſus illarum Gentium cum uſibus Europæorum conferte, quin immò vos illis magna diligentia adſueſcite.

Admiremini & laudate ea quæ laudem merentur, quæ vero laudis expertia ſunt, ut non ſunt præconiis aſſentatorum more extollenda, ita prudentiæ veſtræ erit, de his aut judicium non ferre, aut certè non temerè & ultrò damnare: quæ vero prava extiterint, nutibus magis & ſilentio quam verbis proſcindenda, opportunitate nimirum captata qua diſpoſitis animis ad veritatem capeſcendam ſenſim ſine ſenſu evellantur.

In prædicatione verbi Dei & in adminiſtratione Sacramentorum nolite ullam tumultus & rebellionis ſuſpicionem creare ex concionis & cœtuum frequentia, ſed hoc curate diligenter ut Chriſtiani ad ſacra vobiſcum facienda conveniant

magnâ cum modeſtiâ, nec in horum conventibus quidquam niſi ſacrum pertractari ſinitote, & omnino prohibete, ne de rebus ad publicam rem ſpectantibus illa occaſione agatur.

Ex induſtria ſeparatæ ſunt veſtræ Provinciæ, ut neuter in alterius Miſſiones ſeſe ingerat; ſi verò urgens neceſſitas & ingens captura piſcium exegerit, vocate ſocios ex aliena navi: poſtquam non ſemel, ſed ſæpius invitati fueritis ad breve tempus permitti vobis poteſt ex veſtra Provincia abeſſe, & in aliena laborare, ſed veſtræ inter hæc, ne quid damni patiatur providendus eſt idoneus Vicarius; abeſtote vero quam breviſſimo tempore & ſacræ Congregationi ſcribite & cauſas exeundi &, quamdiu abfueritis & quo in ſtatu res cum abieritis reliqueritis & eaſdem inveneritis poſt reditum.

Scribite ſæpiſſimè ad vos invicem & communione litterarum initam amicitiam colite, ut poſſitis manus laborantibus & conſilia porrigere.

Si quid inter vos aut veſtros controverſiarum oboriatur, cavete omninò à rixis, clamoribus & ſcandalis, maximè coram populo. Veſtras contentiones ſi per vos ſedare nequitis, ad hanc ſacram

Congregationem eas referte, certi feveriorem eam propenfioremque femper fore ad obftinatos, pertinaces & jurium fuorum plus nimis tenaciores condemnandos; qui vero juribus fuis libenter cefferint, & fua potius amittere quam aliena invadere & ufurpare præoptaverint, in hos proniorem atque indulgentiorem futuram effe.

Clerum Miffionariofque optimos & femper habetote, & tales confervate omni cura & follicitudine. Eorum verò cuique fuum munus in Provincia adfignate & vincam fuis limitibus diftinctam in qua laborandum fit. Extra hanc nequaquam licitum fit cuiquam egredi abfque veftra in fcriptis obtenta facultate quæ quidem haud facile concedenda eft, nifi legitima & urgentiffima caufa impellat, tum verò præfcripto breviffimo tempore fubrogatoque altero qui abfentis defectum suppleat.

Jam verò fi Miffionarius quifpiam in alienam Provinciam ingreffus nolit legitimum ordinem obfervare: Primò quidem corripite hominem, ut fi refipuerit, Fratrem lucremini, fi verò in fua ftultitia perfeveraverit, tum fugiant ii quorum jus læditur cum hujufmodi contendere,

ſed cedentes jure ſuo certiores vos reddant eorum quæ acciderint omnium.

In Europam nolite quemquam amandare, niſi pura-puta neceſſitas & urgentiſſimæ cauſæ non modo id ſuaſerint, ſed pœnè invitos coëgerint. Cauſa porro eſſe poſſunt, mala hominis vita, ſcandaloſi mores, perverſa doctrina, ingenium turbidum, rixoſum & aliorum impatiens, & maximè negotiis ſecularibus, Politicis, & temporalibus ſeſe immiſçens: aut demum ſi neceſſitas poſcat ſacram Congregationem fieri certiorem, de ſumma rerum & totius Miſſionis omniumque Provinciarum ſtatu. Qua verò prudentia vos continere debeatis cum Regularibus & multa vobis hic ore tenus dicta ſunt, & poſtquam diſceſſiſtis, ſcripta ſunt multa, quæ perfectiſſima norma vobis interea ſint quouſque ad ſacram Congregationem Regionum illarum ſtatum accurate præſcripſeritis. Hoc vobis in univerſum præceptum ſit ſatius multò eſſe vobis hoc rerum ſtatu ſi veſtrum jus ab illis lædi ſinatis, quam ſi cum ſcandalo vindicetis vel minimum quid eorum quæ vobis jure debeantur.

Nolite ullo pacto moleſti eſſe Populo ob temporalia, memoreſque eſtote pau-

pertatis Apostolorum quorum manus subministraverunt necessaria & sibi & iis qui secum erant: ut multò magis vos illorum æmuli & imitatores victu & vestitu contenti abstineatis ab omni turpi quæstu, exigendis eleemosinis, corradendis pecuniis, donis, atque muneribus, & si quid etiam renuentibus obtrudant ipsis qui dedere inspectantibus, dispergite pauperibus, scientes nihil magis Populis admirandum videri eorumque oculos convertere, quam rerum temporalium despicientiam & Evangelicam paupertatem quæ supra humana & terrena omnia sese extollens thesaurisat in cœlo.

Nec vos, nec vestri ullius lateri continenter adhæreatis, aut ita obnoxii sitis cuiquam maximè ex potentioribus, ut illi uni non toti Provinciæ subservire videamini. Quare nolite vos sinere nimiis, sed insidiosis beneficiis devinciri quæ non modo communi bono officiant, sed etiam libertatem loquendi & vitia ipsius benefactoris reprehendendi impediant.

Quia vero ad sacra, atque studia iis in regionibus promovenda non paucos sacrorum Doctorum libros, aliosque hujusmodi ex Latina, sive ex Græca lingua in patriam earum regionum linguam transferre

opus eſt, idcircò diligentiſſime perquirite quiſnam ex noſtris illic vel alibi reperiatur qui utraque lingua doctriniſque imbutus huic muneri par ſit, & ſacram Congregationem certiorem reddite.

Scholas ubique ſumma cura & diligentia erigite & juventutem illarum Regionum gratis docete Latinam linguam & doctrinam Chriſtianam vernaculo idiomate, & conemini quoque ut nullus Catholicus filios tradat infidelibus erudiendos, ſed vobis, veſtriſque.

In his Scholis ſi quos juvenes inveneritis bonæ indolis, piæ mentis, devoti generoſique animi, aptos ſtudiis litterarum, & qui ſpem faciant vitæ Eccleſiaſticæ, nutrite illorum zelum, opem ferte, ut ſtudia litterarum proſequantur, nec aliorſum diſtrahantur & cum ſatis inſtructi litteris & pietate fuerint, poteritis eos in Clericorum numerum adſciſcere & ſuo tempore ad Ordines ſacros promovere multis primum ſpiritualibus exercitiis probatos, & examinatis eorum intentionibus & ad Clericalem vitæ rationem vocationibus.

Hos poſtmodum deſignate, qui Gentem ſuam doceant Evangelium Chriſti. Cæterum innumera alia quæ dici & præ-

ſcribi poſſent ad veſtram conſolationem ſpiritualem, tum etiam ad inſtructionem ex induſtria idcircò omittuntur, quoniam ſacræ Congregationis ea eſt opinio atque exiſtimatio de veſtro zelo & diligentia, ut ſibi certò perſuadeat vos quæ defuerint, ſive circa notitiam illarum Regionum, ſive circa dubia multa quæ ibi & olim fuere & futura eſſe poſſunt plurima, lectione librorum ſuppleturos qui de rebus Indicis, atque Sinenſibus & maximè qui de eorum Populorum converſione cum laude ſunt editi. Inter cæteros verò commendatiſſimæ vobis ſint, vita ſancti Franciſci Xaverii & maximè illius Epiſtolæ, ex his namque multa haurietis quæ vobis ad inſtar certiſſimæ normæ eſſe poſſunt, ſive ritus earum Regionum ſpectetur, ſive ratio cum incolis agendi, voſque in ſummis anguſtiis cum laude gerendi.

# INDEX
## EORVM QVÆ IN HOC Volumine habentur.
### PRIMA PARTE.

*DEcretum S. Congretionis generalis de propag. fide habitæ die 7. Augusti 1651. supplicandi suæ Sanctitati, ut in auxilium Ecclesiæ Annamiticæ quæ regna Tunchini, Cocincinæ, &c. comprehendit, unum Patriarcham cum duobus aut tribus Archiepiscopis, & duodecim Episcopis ad prædicta Regna destinet.* Pag. 1

*Decretum ejusdem Congr. quo illustr. D. F. Pallu Episc. Heliopolitanus designatur Vicarius Apostolicus Tunkini cum administratione quarundam Provinciarum Imperii Sinensis.* 3

*Breve D. N. Alexandri VII. quo illustr. Episc. Heliopolitanus deputatur Vicarius Apostol. Tunck.* 5

*Decretum Sancti Officii Romani*

quo eidem Episcopo conceditur authoritas deputandi duodecim Sacerdotes cum facultate consecrandi calices, Feria 5. die 26. Febr. 1660. 9

Breve quo venerabilibus Fratribus Francisco Pallu Heliop. & Petro Lambert Berytensi conceditur ei qui superstes fuerit Sacerdotem in Episcopum consecrandi. 11

Breve quo conceditur Vicariis superstitibus facultas consecrandi Episcopum in locum defuncti D. N. 19

Facultates concessæ à sanctissimo D. N. D. Clemente IX. P. P. D. D. Vicariis Apostolicis. 29

Licentia ordinandi indigenas absque titulo. 37

Indulgentia plenaria pro die Assumptionis B. Mariæ Virginis. 43

Breve quo declaratur quinam nomine Neophytorum sint censendi, die 8. Ianuarii 1669. 45

Constitutio Clementis IX. qua determinatur potestas Vicariorum Apost. præsertim in Regulares in locis Vica-

*riatus.* 47

*Constitutio ejusdem qua cavetur variis abusibus Missionum Indicarum.* 59

*Constitutio ejusdem qua prohibetur negociatio sive mercatura personis Ecclesiasticis & Regularibus, præsertim Missionariis.* 73

*Constitutio Clementis X. pro Vicariis Apostolicis, qua confirmantur & innovantur Brevia Alexand. VII. & Clem. IX. & decreta Congreg. de propaganda fide ad eorum favorem emanata.* 87

*Breve Clementis X. quo approbatur Synodus Tunkinensis illust. Episcop. Beritensis.* 121

*Constitutio Vrbani VIII. super Missionibus Religiosorum ad Iaponiam, & alias regiones Indiarum Orientalium.* 139

*Confirmatio & extensio Constitutionis Vrbani VIII. super facultate accedendi ad partes Orientis per aliam viam quam per Lusitaniam*

*pro Episcopis & Vicariis Apostolicis in dictis partibus Orientis.* 153

*Prorogatio facultatis ordinandi indigenas absque titulo cum indulto eis commutandi Officium divinum.* 163

*Breve Clementis X. dilectis filiis Inquisitoribus civitatis Goæ.* 171

*Exemptio à Jurisdictione Inquisitionis Goanæ pro Vicariis Apostolicis eorumque Missionariis.* 175

*Breve ejusdem Pontificis venerabili Fratri Archiepiscopo Goæ ; seu dilectis filiis ejusdem Cathedralis capitulo.* 181

*Breve ejusdem Pontificis ; quo declaratur Episcopos Indiarum non posse in Vicarios Apostolicos exercere actus jurisdictionales.* 185

*Breve ejusdem Pontificis pro Episcopis Vicariis Apostolicis quo prohibetur ne quisquam emendicet, vel acceptet litteras Vicariatus pro exercenda jurisdictione in locis eis commissis.* 189

*Indultum ejusdem Pontificis pro Vicariis Apostolicis eorumque Missionariis celebrandi Missam capite tecto.* 195

*Breve ejusdem Pontificis dilectis filiis Sacerdotibus, Catechistis, & Christianis Tunkini & Cocincinæ, quo eorum erga sanctam Sedem & Vicarios Apostolicos commendat obedientiam.* 199

*Indulgentia plenaria pro Christi fidelibus & Catechistis in partibus Sinarum in duobus Festis SS. Iosephi & Francisci Xaverii, & die admissionis ad officium Catechistarum.* 203

*Breve ejusdem Pontificis pro Episcopis Vicariis Apostolicis apud Sinas, quo eximuntur à jurisdictione Ordinariorum.* 205

*Præceptum Episcopis Indiarum & aliarum partium Orientis, ac Regularibus eorumque Superioribus super stricta observantia Constitutionum Apostolicarum, & Decretorum Congregationis de propaganda fide.* 209

*Extensio Constitutionis Vrbani VIII. pro Episcopis & Vicariis Apostolicis in partibus Orientis ad impedientes exercitium eorum Iurisdictionis, &c.* 215

*Constitutio Clementis X. qua prohibetur Missionariis cujuscunque Ordinis, &c. imprimere libros tractantes de materia Missionis sine approbatione sacræ Congreg. de propaganda fide.* 217

*Extensio Iurisdictionis Vicariorum Apostolicorum ad Regnum Siam, & civitatem Iuthiensem.* 223

*Facultas dispensandi in gradibus prohibitis consanguinitatis, seu affinitatis, excepto primo.* 227

*Breve Clementis IX. Serenissimo Regi Siam, quo commendat ei Vicarios Apostolicos.* 229

## SECUNDA PARTE.

*Quæsita Missionariorum Chinæ, sacræ Congregationi de propa-*

*ganda fide exhibita, cum responsis ad ea.* pag. 1

*Decretum sacræ Congregationis eadem responsa approbantis anno 1645.* 19

*Responsa sacræ Congregationis universalis Inquisitionis à S. D. N. Alexandro VII. approbata ad quæsita Missionariorum Societatis Iesu apud Sinas, anno 1656.* 22

*Decretum ejusdem Congregationis super instantia Patris Ioannis Pollanco Ordinis Prædic. de eisdem quæsitis.* 35

*Decretum pro dispensando in disparitate cultus 23. Ian. 1669. in Congr. S. Officii Romani.* 38

*Duodecim dubia Iaponica cum eorum responsis à Theologis Romæ consultis.* 39

*Responsa Sacræ Congregationis ad quædam dubia de matrimonio Iaponum.* 45

*Decretum S. Officii 26. Martii 1611. quo Missionariis Societ. Iesu*

*conceditur facultas celebrandi Missam capite tecto, transferendi sacra Biblia in linguam Sinarum eruditis propriam, tum eadem lingua Sacramenta administrandi, &c.* 52
*Decretum ejusdem Sacræ Congregationis prohibentis confraternitates mancipiorum Matris Dei.* 53

## TERTIA PARTE.

*EXtensio Iurisdictionis Vicariorum Apostolic. ad regna Camboyæ & Ciampæ.* pag. 1
*Responsa ad varia Missionariorum quæsita.* ibidem.
*Resolutio Theologorum super usu Medicinæ Missionariis concedendo.* 18
*Censura quarundam propositionum ab Episcopo Beritensi lata.* 23
*Decretum Romanæ Inquisitionis eandem censuram approbantis.* 27
*Breve Clementis X. occasione ejusdem censuræ Episcopo Beritensi.* 30
*Epistola consolatoria ad eundem*

*Rev. Episc. nomine sacræ Congreg. de propaganda fide scripta.* 33

*Extensio Iurisdictionis Vicar. Apost. ad insulam Iava.* 39

## PARTE QUARTA.

*Capita quibus in relationibus Missionum, Missionariorum est satisfacere, distinctè respondendo singulis eorum.* pag. 1

*Excerpta ex instructione data Vicariis Apostol. à S. Congreg.* ibidem.

## PARTE QUINTA.

*Bulla Pii V. de Ethnicorum matrimoniis quando ad fidem convertuntur.* pag. 1

*Bulla Sixti V. damnantis contractus societatis securitatem capitalis, aut certam responsionem, aut aliter usurariam pravitatem continentes.* 3

*Ejusdem P. damnatio conjugiorum per Eunuchos & Spadones contracto-*

rum, & contrahendorum. 13

Constitutio Gregor. XV. adversus Confessores ad turpia sollicitantes, &c. 17

Constitutio Vrb. VIII. circa formam & habitum sacrarum imaginum. 25

Ejusdem P. Constitutio pro observatione Festorum. 33

Decretum S. Rituum Congreg. de non jejunando in vigilia S. Ioan. Bapt. quando contingit in die solemnitatis corporis Christi. 41

Breve Vrb. VIII. super eadem re. 43

Decreta Vrbani VIII. circa imagines defunctorum nondum à sede Apostolica canonizatorum. 45

## SEXTA PARTE.

Breve Innocentii X. in causa Illust. Episc. Angelopolitani, pag. 1

# *Privilege du Roy.*

LOUIS PAR LA GRACE DE DIEU, ROY DE FRANCE ET DE NAVARRE : A nos amez & feaux Conseillers, les Gens tenans nos Cours de Parlement, Maistres des Requestes ordinaires de nostre Hostel, Baillifs, Seneschaux, Prevosts, leurs Lieutenans, & tous autres nos Iusticiers & Officiers qu'il appartiendra : SALUT. Nostre amé CHARLES ANGOT, Marchand Libraire de nostre bonne ville de Paris, Nous a fait remontrer qu'il luy a esté mis entre les mains un Manuscript, intitulé, *Constitutiones Apostolicæ pro Missionibus Sinarum Tunquini ad usum Episcoporum*, lequel il desireroit imprimer & donner au public, s'il en avoit nos Lettres sur ce necessaires. A CES CAUSES, desirant favorablement traiter ledit Exposant, Nous luy avons permis & permettons par ces Presentes d'imprimer ledit Manuscript en tels volumes, marges, caracteres, & autant de fois que bon luy semblera le faire vendre & debiter par tous les lieux de nostre obeïssance, pendant le temps de dix années entieres & consecutives, à compter du jour que chaque Volume sera achevé d'imprimer pour la premiere fois en vertu des presentes : Pendant lequel temps faisons tres-expresses deffenses à toutes personnes de quelque qualité & condition qu'elles soient d'imprimer, faire imprimer, vendre & distribuer ledit Manuscript, sous quelque pretexte que ce soit, sans le consentement de l'Exposant, ou de ceux qui auront droit de luy, ny d'en faire des extraits ou abregez, sous peine de trois mil livres d'amende, & confiscation des Exemplaires con-

trefaits, dépens, dommages, & interests; à condition qu'il sera mis deux Exemplaires dudit Manuscript dans nostre Bibliotheque publique, un en celle de nostre Chasteau du Louvre, & un en celle de nostre tres-cher & feal le Sieur d'Aligre Chevalier, Chancelier de France, avant de l'exposer en vente, à peine de nullité des Presentes: Du contenu auquel Vous mandons faire joüir l'Exposant, ou ceux qui auront droit de luy, pleinement & paisiblement, sans souffrir qu'il leur soit donné aucun trouble ou empeschement. Voulons qu'en mettant au commencement ou à la fin de chaque Exemplaire dudit Manuscript un extrait des Presentes elles soient tenuës pour deuëment signifiées, & que foy soit ajoûtée aux copies d'icelles collationnées par l'un de nos amez & feaux Conseillers Secretaires, comme à l'Original: Et en cas de contravention ausdites Presentes, Nous nous en retenons la connoissance, & à nostre Conseil: Mandons au premier nostre Huissier ou Sergent sur ce requis faire pour l'execution des presentes tous Exploits, saisies, & autres Actes necessaires, sans demander autre permission, nonobstant clameur de Haro, Chartre Normande, & autres Lettres à ce contraires. CAR tel est nostre plaisir. DONNE' à Versailles le premier jour d'Octobre l'an de grace mil six cens soixante-seize; Et de nostre regne le trente-troisiéme. Signé, par le Roy en son Conseil, d'ALENCE'.

*Registré sur le Livre de la Communauté des Imprimeurs & Libraires de Paris, le 3. Octobre 1676. suivant l'Arrest du Parlement des 8. Avril 1653. & celuy du Conseil Privé du Roy du 27. Fevrier 1665.*

*Signé D. THIERRY, Syndic.*

Achevé d'imprimer pour la premiere fois le 15. Janvier 1677.